1578

281

AVLICA VITA,

Et oppoſita huic

VITA PRIVATA:

A DIVERSIS, TVM VETERIBVS, TVM RECENTIORIbus autoribus luculenter deſcripta, & in hoc ENCHIRIDION collecta, atque nunc denuo in lucem edita,

AB

Henrico Petreo Herdeſiano.

ACCESSERE RECENS

AD HANC SECVNDAM EDITIOnem, cum alia probatiſsimorum autorum opuſcula, & Sententiæ; tum Reuerendiſsimi D... Gueuara, Epiſcopi Mondeuenſi an... leſtijs, priuataq; commodis, lib... hac latine excuſis: ut ſe... cabit folium.

Cum INDICE *locupletiſ...*



CVM PRIVILEGIO CÆSAREO.

15 *Francofurti ad Mœnum.* 78.

Ex libris PP. Eremit. Camaldul... ppe. ...iarum.

IN HOC LIBRO continentur,

ACCES-

ACCESSERE IN HAC secunda editione.

I. Philippi Cominæi, viri nobilis, & Carolo Burgundiæ Duci, atq; Ludouico XI. Gall. Regi, olim familiaris, præceptio Aulica. fol.121.

II. Petri Martyris, Johan. VVolffij, Johan. Brentij, VVolffg. Musculi, Johann. Nouillei, Theologorum: Item Johan. Lud. Viuis, Cæl. Secundi Curionis, Plutarchi, Ciceronis, Philip. Beroaldi, Christoph. Corneri, Philosophorum, Sententiæ de Aulicis. fol.122. 128. & 161.

III. Antonij Fuchs, nobi-

no deinceps 1542. per Antonium Alegrium in gratiam reuerẽdissimi D. Domini Guilhelmi à Prato, tunc temporis Episcopi Claromontani, in linguam gallicã translatus: nunc demum vero ex Gallico in Latinum quoq; sermonem conuersus ab Hermanno Germbergio VVestphalo. fol. 201



NOBILI, VIRTVTEQVE ET DIGNITATE PRÆSTANTI

D. Iohanni Fichardo, Patricio Francofortensi; Iurisconsulto eximio; & Comiti Palatino patriæq; Aduocato & Syndico; patrono suo amanter colendo:

S. P. D.



VM, VIR AMPLISSIME, diebus superiorib. Aeneæ Syluij, Vlricique Hutteni Aulã, & præterea quædam aliorum opuscula huc pertinẽtia, mendis purgâssem, puriusq; descripsissem; ac deinde molestijs Aulicis, Vitæ Priuatę commoda opposuissem; eumque librum de nobilium quorundam doctorumq; virorum cõsilio essem in lucem editurus; hortatores mihi fuêre cum alij, tum Cunradus VVeis, Francofortẽsis patricius, affinis tuus, te potissimum vt cõpellarem, ac diuulgandam ad te Aulam mitterem.

Vt igitur eſſe impudens videri poſſim, qui tibi, aſſidue pro cõmunibus tuæ patriæ cõmodis ſudanti, hoc oneris imponam, & tam exilia pellegenda mittam: Albini tamẽ, viri ornatiſſimi, deq; humaniorum litterarũ ſtudioſis optimè meriti, autoritas me, vt ſpero, coram te excuſabit; neque, opinor, facies vt domus tua, quæ nõ ſolũ totius oraculum ciuitatis tuæ, ſed Muſarum cõmune aſylum eſt, mihi non pateat.

Etenim ſi excellentem doctrinam, ſapientiam, moderationẽ, candorem, humanitatẽ tuam, animo intueor, & conſentientẽ omnium rectè iudicantium de virtute tua vocẽ reſpicio; præterquàm te, patronum quẽ hoc loco, in ipſo quaſi Aulę veſtibulo cõpellare, aut cui libellũ hunc rectius tuendum committere poſſim, non inuenio.

Porrò licet hoc quicquid eſt operæ, quod in illis doctorum hominum & de Aulica, & de oppoſita huic vita priuata, ſcriptis colligendis poſui, in grauiores

uiores vtilioréſve ſcriptiones cõferendum fuiſſe videri forte poſſit: tamen animi relaxãdi cauſa, & amicis gratificandi ſtudio, facetis illis eruditiſſimorum virorũ monumẽtis tanquàm ludo me vſum eſſe, neq; meas me cogitationes litteris mãdâſſe, ſed haſce lepôre ac venuſtate affluẽtes lucubrationes, ab interitu vindicaſſe, boni (quod ſpero) non reprehendent. Etenim ſuperioribus tẽporibus cùm cõfirmandæ valetudinis cauſa Francia orientali perluſtrata, apud meos olim diſcipulos, generis & antiquæ familiæ nobilitate inprimis claros IOANNEM CAROLVM FVCHS à Binbach, in Gleiſſenavv, & agnatum huius IOANNEM FVCHS à Dornheim, in VViſſentheit, Eq. Fr. ſubſiſterem, ociumque apud hũc mihi deinceps afferret neceſſitas non voluntas: cum litteris, quæ moleſtijs me liberarent, aut leuarent ſaltem, in gratiam, ne nihil agerem, placuit redire.

Qua-

Quapropter cū forte in Aeneæ Syluij Epistolas, interq; illas in hanc, qua scitissime depingit CVRIALIVM MISERIAS, incidissem, atq; eam ex libro veteri quidem illo & admodum mendoso corruptoq; mihi descripsissem; eruditis illam aliquot, & nobilibus, ijsdemq; Aulicis, vsque adeo arridere probariq; cōperi, vt manibus & ipsi proprijs descriptā circumferrent: atq; hæc deinceps causa mihi fuit, eam vt emendarem, inq; commodiorem libelli formam redactam, quo labore describendi leuarem illos, typis diuulgare constituerem.

Hanc vero operam meam, cum viris spectatissimis gratā esse cognoscerem; cum Syluianis miserijs Hutteni quoq; MARE AVLICVM (quem Dialogum à viro clariss. D. Ioach. Camerario, Reip. Norembergēsis Medico præstantissimo, cōmodato acceptum D. Johannes Posthius, Medicus Poëtaq; celeberrimus, & præcipuus Musarum

ad Moe-

ad Mœnum patronus, mecum cõmunicârat) cõiungere, & Aulam tum nouo illo Hutteni præconio, tũ aliorum etiam eiuſdem argumenti ſcriptis locupletare, eidemq́; de vitæ viciſſim priuatę cõmodis, optimorum Poëtarum carmina opponere, viſum fuit.

Sed hæc cur huius argumenti libellos alienos deſcripſerim, edendosque adornarim, accuratius apud te nũc perſequi non eſt neceſſe: neq; ſpero quenquam fore tam inhumanũ, qui feſtiuos eruditiſsimorũ virorum luſus aut extinctos velit, aut ex ijs delectationẽ in rebus turbidis petere nolit.

Cæterũ de forma expoſitionis, deq́; genere ſermonis, quo Autores illi his in opuſculis vſi ſunt, verba facere quid attinet? Quis enim aut Aeneæ Syluij facundiã, aut Vlrici Hutteni, res cum diſponẽdi tum illuſtrandi facultatem, inq; ſcribendo plenam doctrinæ grauitatem, ignorat?

Non inficiar ſanè, aliqua minus latinè dicta

nè dicta ab Aenea Syluio, & nõ modo in Epistolis cæterisq; illius operibus, sed in hoc etiã tractatu de Curialium miserijs, multa barbariei seculi superioris apparere vestigia. Sed quis, hæc petulanter exagitãda magis quã temporibus humaniter condonanda, existimet? Etenim vt, cum floreret ille, artes Eloquentię bonęq; disciplinæ ex vastata tunc Græcia in Italiam & Germaniam, vicinasq; nationes primum reuocabãtur; ita postea progressionibus eæ felicioribus vsæ, beneficio inprimis Typographicæ, multo sese nobis præbuêre faciliores discendas. Itaque par esse duco, vt dum (secundum Parœmiam sacrarum litterarum) vitula nos aramus aliena, ijs qui ante nos artes vtcunq; studuerunt expolire, libenter ignoscamus.

Propter illos autem qui ad rectè dicta & facta peruertenda nati sunt, hoc loco protestor, in nullius vel Principis cõtumeliam, vel Aulici ignominiam hæc

hæc opuſcula à me collecta editaq́; eſſe. Etenim ſi omnia mihi quæ ab omnibus promiſcue in ordinem illum dicta ſcriptaque ſunt, huc congerere fuiſſet in animo; certe multo cernerent Aulam hîc Aulici tetriorem.

Multis vero hunc librum vtilem, bonisq́; omnino gratum, nemini autem, niſi Zoilis, inuiſum fore confido. Quoties enim in hiſce opuſculis admonetur is, cui Mare iſtud aulicum (quod tot motus, tantasq́; habet agitationes fluctuum, & quod tam variè perturbant ſæpe venti,

totumq́; a ſedibus imis
Vnà Eurusq́; Notusq́; ruunt, creberq́; procellis
Africus)

hoc, inquã, Mare, tam difficile & turbulentum, cui nauigandi impoſita eſt neceſſitas, quoties admonetur hîc, vt cautè atq; ſecundis ventis nauiget, ne cupiditatum illecebris, ceu procellis violentiſſimis, in Scyllã aut Charybdin deferatur, aut in iram indignationemve

nem ve Principis, tanquā in ſcopulum acutum abripiatur? At quid hiſce admonitionibus vtilius magíſve neceſſarium eſſe poſſit, cum audaciæ nunc & temeritatis vbiq; plena ſint omnia? Etenim iuuenes & ſubditi cum difficultatem periculaq; honoris, aut potius oneris aulici hinc intelligēt, tum Curialibus atq; Magiſtratui minus inuidebunt, & hi imperare bene, illi parêre diſcent.

Quoties, quæſo, aliquis Phaëthon, dum Aurigam & Regem agere cupit, populumq; & varios animorum motus, ceu currum & feroces equos regere ſeſe poſſe confidit, nulla neceſſitate coactus aulicarum rerum frena temere capeſſit? At quid agat ille aliud, niſi quod Cœlum terræ miſcendo, atq; ſacra & profana ſurſum deorſum voluendo, cum interitum ſibi ipſe, tum Reip. detrimentum accerſat?

Quod ſi contingat, vt tali honores ambienti Phaëthonti, Phœbus aliqs

(vt ille

(vt ille apud ingeniosum Poëtam) dissuadendo occinat,

Magna petis Phaëthon, & quæ non viribus istis
Munera conueniunt, nec tam puerilibus annis;

surdo tamen narratur sæpe fabula. Etenim consilia plærũq; meliora senum ac sapientũ aspernando, splendidamq́; Aulicorum miseriam non penitus ex veritate, sed ex opinione foris æstimãdo, certissimam ad perniciem inani inflammatus auiditate rapitur, ac vtut illa, quæ vndique circumstant aulicos pericula, ob oculos proponuntur,

dictis tamen ille repugnat,
Propositumq́; premit, flagratq́; cupidine currus.

Postquàm verò, beneuolentia potentiorũ, blanditijs & assentationibus collecta, voti fit cõpos; tum vero Regem sese & tantum non Deum existimans

Occupat ille leuem iuuenili corpore currum,
Statq́; super, manibusq́; datas contingere habenas
Gaudet.

At vbi rude vulgus, Orationis ac Sapientiæ frenis regendũ, resistendumq́; & populi leuitati, & perditorum cupiditati;

ditati; perturbationes animi proprij vincendę, appetitusq; cohibendi sunt;

Tum leue pondus erit, nec quod cognoscere poßint
Solis equi, iustaq; iugum grauitate carebit.

Postquàm igitur satis superque dedit turbarũ, magno & suo & Reip. malo,

Ac tandem Phaëthon cunctis è partibus orbem
Aspicit accensum, nec tantos sustinet æstus:

quid dum restet, quam vt Omnipotens gemitu populi permotus, ipse laboranti hominum generi subueniat, ac temeritatem Phaëthonteam iusta seueritate reprimendo,

Intonet, & dextera libratum fulmen ab aure
Mittat in aurigam, pariterq; animaq; rotisq;
Exuat.

Tum vero denique

Illic frena iacent, illic temone reuulsus
Axis, in hac radij fractarum parte rotarum;
Sparsaq; sunt latè laceri vestigia currus:

neque illi, vere quidem, sed sero sapienti, quicquam solatij, quam hæc post obitum præconia,

Hîc situs est Phaëthon, currus auriga paterni,
Quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.

Audiant

Audiant igitur Phaëthontes nostri Aeneam Syluium, aurigam olim currentis Imperij Romani præcipuum, & denique summum: audiant Vlricum Huttenum, Equitem cum primis nobilem, Aulicumq; experientissimum; audiant Erasmū Roterodamū, quem longa ætas, vsusq; rerū magister optimus itidem Curialium artes probè (vt ipsemet testatur) edocuit: Hos igitur, cæterosq; in libro hoc loquentes audiant, & aliorum periculo sapere tandem, cautiusq; mercari discant. Nam (secundum Poëtam, solitum Parcere personis dicere de vitijs) Qui sua metitur pondera, ferre potest.

Cæterum si verbosius quispiā mordaciúsve, quàm verius, hîc descriptam esse Aulam putat, neque adeo miseros esse Curiales opinatur, cum eo equidem hoc loco verbis nō digladiabor.

Hoc tamen in animo is cogitet; cum Imperia, honores, gloria, diuitiæ, & nata ex illis voluptates (Aulā quæ faciūt

beatiorem) temporibus ac voluntate hominum gubernentur, inq; casu sita sint; quã incerta, quã lubrica sit Aulæ felicitas, vt quæ non solũ dignitatem & res partas augẽdi libidine, sed indies amittendi metu cruciatur, semperque aut malis præsentibus, aut formidine futurorum torquetur.

Non diffiteor sanè, nonnullos qui nauigarunt mare istud, vbi tot indies fiunt naufragia, & (vt verbis denuo Maronis vtamur) passim

Hi summo in fluctu pendent, his vnda dehiscens
Terram inter fluctus aperit,

emersisse quidem aliquãdo, & ad portum vitę quietioris sese recepisse; nonnullos etiã (quos scilicet æquus amauit Iuppiter, aut ardens euexit ad ęthera virtus) honores, voluptates, diuitias, consecutos fuisse: sed quot contra nunquã, ne nudos quidem, emersuros, aduersa Aulæ tempestas

In breuia & Syrtes vrget (miserabile visu)
Illiditq; vadis, atq; aggere cingit arenæ.

Neque

Neque ideo tamen damnamus hîc Imperiorum ordinē, bonosve Principes, sub quibus Aulici militāt, vituperamus: horū enim, post Deum, beneficio, res & priuatas & publicas administrari, pietatis, litterarumque studia propagari, noxios homines vinculis supplicijsque coërceri, bonos præmijs ornari agnoscimus; neque sine his esse dicimus, quod sese aut à parētibus accepturum quispiā, aut posteris esse relicturū speret: Sed tum vitia personarum ab ordine politico, instituto diuinitus, discernendo, ordinē ipsum prædicamus, tum Consiliarios & administros malos reprehēdendo, bonos certè laudamus: deniq; Aulicorū plenos miseriarum labores recēsendo, Phaëthōtes, puerosq; Icaros admonemus, ne aut, priuati ipsi, Ordini huic inuideant, ac præter ætatem viresque suas Rempub. gerere velint; aut, si Aulicos fieri cogat necessitas, ne altius euolando à Sapientum præceptis temere di-

 scedant,

ſcedant, ſed ſuam inſcitiam horum prudentia conſtitui patiantur.

Etenim vt in nauigãdo Gubernatori (qui & futuras tẽpeſtates proſpiciat, & vel ex certo celi ſidere, vel ex magnetis acie, quò nauis dirigẽda ſit, videat) remiges nautasq́; parêre conuenit: ita qui in mari iſto (quod tum natura ſua tàm & turbulẽtum & ſcopuloſum eſt, tum crebra ventorum vi vſq; adeo ſubinde cõcitatur) nauigat, ſuo eum loco mãdatas operas facere, ſuperiorũ imperijs obſequi, atque ad portum optatũ remis veliſq; properare par eſt. Sed hæc ſatis vel nimis fortaſſe verboſè.

Tuam verò præſtantiam, Ficharde clariſſime, in prima hac parte, & in ipſo quaſi limine Aulæ, compellaui eò etiam libentius, quòd videlicet fore putarem, vt cũ tibi nõ improbari hæc opuſcula intelligerent cæteri, eadem, tua moti autoritate, atq; alteram deinceps partem de vitæ priuatæ cõmodis, æquo animo & ipſi pellegerent.

Qua-

Quapropter, Vir Ampliſſime, te etiã atque etiam rogo, vt animum meum, prꝫſtantiam tuã ſtudioſe venerantem, boni conſulas, atq; hoc loco tui compellationem pro humanitate tua dextrè accipias. Quod quidem facturum te perſuaſum mihi eſt, cuius ea non ſolum erga Patriam merita, verũ in alienos etiam ſtudia beneficiaque extant, quæ & ætas noſtra veriſſimis laudibus certatim prædicat, & grato celebrabit ore poſteritas. Neq; ſcribenti hæc mihi verendũ fuit, ne aſſentatoriè magis auribus ea tuis dare, quã virtutes tuas reuerenter amare viderer. Neque certę, niſi vera me ſcribere ſcirem, tam fatuus eſſem, vt hac ſcriptione vltro mihi ipſe publicam leuitatis & mendacij labem aſpergerẽ. Verùm nihil minus metuere debeo, cum eximiam tuam omnium diſciplinarũ & ingenuarum artium eruditionem, viuidamq; ætate prouectiore illa rerũ cognitionem & memoriam, vitæ grauitatem & innocen-

nocentiam, magnitudinem animi, elegantiam morum singularem, non Germani solummodo, sed externi etiam admirentur.

Vale, & virum clariss. Raimundum Pium Fichardum, V.I.D. filium tuum, dignum & sanguinis & virtutis heredem tuæ, verbis saluta meis officiose.

Data Basileæ Rauracorum, Anno CIↃ. IↃ. LXXV. die XVIII. Mensis Octobris: quo die ante biennium Christophorus Fichardus, filius tuus, Iurisprudentiæ studiosissimus, summæque Iuuenis expectationis, Pataui obijt, inq; vitæ beatæ quietem sempiternam receptus, magnum hîc sui bonis omnibus desiderium reliquit.

Henricus Petreus
Herdesianus.

CVRIA-

CVRIALIVM MISERIÆ,

AB

AENEA SYLVIO PICOLOMINEO, AD IOHANNEM AICH,

perspicacem & Clarum iurisconsultum perscriptæ.



TVLTOS esse, qui Regibus seruiunt, vitamq; tum infelicem, tum miserrimam ducere Curiales; vereor ne qui me arguant, mihiq; maledicant, si hac epistola, quam tibi sum scripturus, ostendero. Nec etiam deerunt, qui me principibus deferant, & hostem reddere curent, quoniam videar homines ab eorum obsequijs arcere. Nam qui posthac, inquient illi, Regum atria frequentabunt, si se futuros illic miseros intellexerint?

At ego non id ago, vt Principibus derogem, sed illos potius magnis leuo molestijs. Instant assidue quam plurimi, & Nobiles, & magni viri, qui Regum aures

obtundunt, dum in curiam precibus re-
cipi poſtulant: quos cum nequeunt Re-
ges aut vtiliter recipere, aut honeſtè re-
pellere, in magnaque propterea ſint an-
xietate; gratia mihi, non odium, haberi
debebit, ſi quem ex his monuero, Curiæ
Regis vt ſuapte renunciet. Nec timẽdum
eſt, meis ſcriptis id fieri, vt Regum Aulæ
deſerantur: ~~erit enim ſemper ſtultorum~~
~~numerus infinitus, qui vitam beatã apud~~
~~Reges ſolummodo iudicent inueniri.~~

Sed caue, dicunt alij, ne diuinis aduer-
ſere præceptis, dum Regum ſuades euita-
1. Petr. 2. ri ſeruitia: Cum Petrus, Apoſtolorum
Princeps, & Caput Eccleſiæ, ſubiecti eſto-
te, dicat, omni creaturæ humanæ, propter
Deum: ſiue Regi, quaſi præcellenti: ſiue
Ducibus, quaſi ab eo miſſis. Abſit autem
a me ſcelus hoc, vt Apoſtolo contradi-
cam, vel Regibus dicam non eſſe paren-
Mat. 22. dum. Cum & veritas in Euangelio, Reddi,
quæ ſunt Cæſaris, Cæſari iuſſerit, & quæ
DEI ſunt, DEO. Cumque ad Romanos
Rom. 13. Paulus, Doctor Gentium, dicat: Omnis
Anima poteſtatibus ſublimioribus ſub-
dita ſit; non eſt enim poteſtas, niſi a Deo.
Clamo & ego, Obedite Principibus ve-
ſtris omnes populi: Subijcite vos ſubli-

miori-

mioribus poteſtatibus omnes Gentes. Sed memineritis, quia Petrus propter Deum vt ſubijciamini iubet, non propter opes, potentias, vel honores. At iſta non ſunt contraria meis ſcriptis, ſi cum Propheta dixerim; Nolite confidere in Principibus, in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus. Præterea quamplures obiectiones alias, quibus te reſponſorem conſtituo, ſi qui ſint, qui velint me amplius impugnare. Ego ad rem ipſam veniam, ſi prius, quid hoc me diſputare compulerit, paucis abſoluero. *Pſal. 146.*

Genitor meus Syluius, qui, mortuo patre, poſthumus natus, paternumque nomen tulit, adoleſcentiæ ſuæ florem apud antiquum Ducem Mediolanenſem, huius Philippi Ducis patrem, peregit: affectuſq; tandem Curiæ tædijs, domum redijt, vxorem duxit, filios genuit, & vſque in hanc diem vitam quietam laudatamq; degit. Is, cum ad ſe duo Senenſes Iuuenes, admodum Nobiles, acceſſiſſent, &, an Regi ſeruire conduceret, percunctati fuiſſent, ſic reſpondit: *Aen. Syluij pater, eiuſdemq; conſilium.*

Menippus, cùm adoleſcens apud Homerum, Heſiodumque, diuerſa Deorum ſcelera legiſſet, ea licita eſſe, atque hone-

ſta credebat. Nam quod Dij faciant, quis non arbitretur honeſtum? Hic vir poſtea factus, cum illa, tanquã turpia prohiberi legibus animaduerteret, incertus animi, Philoſophos adijt, ſciſcitaturus ab eis, quęnã eſſet optima vita. Sed neq; Philoſophi ſatisfecerunt, cum inter ſe diſſentirẽt; Et alij voluptatem; alij vacuitatem doloris, virtutem alij; Quidam vero Animi, Corporiſque, & Fortunę bona ſimul iuncta, vitam dicerent præſtare beatam.

Incertior igitur ille multo quam antea; vt verbis vtar Terentij, cõſulere mortuos decreuit, & ad Inferos penetrauit; ac ex Thireſia, qui & ipſe Vates diuinatorque fuit, vbi vita beata eſſet, perquiſiuit. Cui cum Vates diu reſpondere negaſſet, in aures tandem inſuſurrans, Apud priuatos, inquit, Optimam vitam, hoc eſt, Felicitatem inuenies.

Gyges quoq;, Lydorum Rex, qui ſe præ ceteris fortunatiſſimum reputabat, Apollinem conſuluit, quis ſuo tempore felix eſſet. Contemſit oraculum regias opes, & apparatus, atque Aglaum quendam Arcadem, modici ruris cultorem, qui metas agelli ſui cupiditate nunquam exceſſerat, felicem eſſe reſpondit.

Vos

Vos igitur, ô Iuuenes, ſi quo modo viuatis optime, quæritis, minime Reges adibitis. Nam cum ipſi felicitatis expertes ſint felices, qui ſibi dicati ſunt nullo pacto poſſunt efficere: quippe quod Principibus ſeruientes nihil ſibi libertatis relinquunt; vt ea conſequi poſſint; quibus potiti multo ſint quam antea miſeriores. Virtutes enim, ô Iuuenes, felicis vitæ ſunt effectrices, quæ à Principum domicilijs excluſæ, ſi quando caſu, aut errore, limen ingrediuntur, è veſtigio coguntur fugere, perterritæ ſiniſtris moribus, quibus in altis palatijs viuitur.

Quod ſi tẽpus diſſerendi daretur, monſtrarem vobis, omnes homines ſtultos eſſe, qui vitam habentes aliam, in qua poſſint honeſte verſari, in Curias Principum ſe præcipitant. Sed abeſt ocium. Ideo vos tantum moneo, vt agrum hunc Hiſtriones, & Adulatores, & alios Nebulones, metere ſinatis, qui nigrum in cãdida vertunt. Nullus eſt viris bonis apud Principes locus, nulla emolumenta laborum; &, vt Iuuenalis verba ſumam, Minor eſt hodie res, heri quam fuit; hęc eadem cras detrahet exiguis aliquid. Sic Syluius genitor. Illi vero ab inſano propoſito reuoca-

ti, domi manere, & ſibi, & Muſis viuere decreuerunt.

At paterna vox minus in filio, quam in extraneis potuit: nec enim me pater ab obſequijs Curiæ valuit auocare, quamuis ſæpe multi, ne me poſt Principum veſanias irem perditum, admonuerint. Sed expertus ſum, quod prius non credidi; veramque patris ſententiam inuenio, de qua libet me nunc in hac Epiſtola diſcertare, grauique tuo iudicio remittere cuncta, nam & tu annis compluribus inter aulicos canes latrauiſti.

Vidi te apud Albertum Cæſarem, honorato in loco: & cum te primum noui, Orator ſuus in Baſilienſi Concilio benedictionem ſibi ex Patrum cœtu petebas; cum is regni Hungariæ diadema, mortuo ſocero ſuo Sigiſmundo Cæſare, ſuſcepiſſet. Atque poſtquam is quoque vita functus eſt, non enim triennio toto imperauit, ad nepotem eius Albertum, Auſtriæ Ducem, te contuliſti, cuius es adhuc Conſiliarius. Quam rem non ſum neſcius apud ignaros rerum, meæ ſententiæ plurimum detrahere. Quis enim infeliciter viuere Curiales crediderit, cum tu, qui vir haberis bonus, & ſapiens, ſolutus ſemel

Curiæ

Curiæ vinculis, iterum te vinxeris.

Sed ſum ego quoque in eadem, qua tu es, cauſſa; qui annis iam xv. Curialẽ ſeruitutẽ ſeruiui, & nunc Eccleſiaſticos, nunc ſeculares ſecutus ſum Principes; & quamuis liber nonnunquam euaſerim, mox tamen in vincula, meapte redij. Itaque poſſet aliquis opinari; Vt ſolus, vel cum paucis, Curiæ voluptatibus fruar, idcirco me mores Curiæ coram alijs deteſtari. Sicut apud Mediolanum qui Bernhardino prędicatori contractus vſurarios accuſabat, vt prohibitis ab his reliquis, ſolus ipſe fœneraretur. Sed longe aliter eſt. Non enim quia placeat mihi Curia, ideo verſor in Curia; ſed ne leuitatis accuſer, qui genus vitę receptum neſciuerim proſequi. Idem & te arbitror retinere.

Accidit enim nobis ſicut coniugatis. Sunt enim admodum multi, qui viuente coniuge, matrimonium damnant, & vxoris obitũ cupiunt, libertatis amore: ſemperque illius ad Corinthios Pauli mandati meminerunt; Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem. At hi poſtquam libertatem ſunt aſſecuti, mox alteram ducunt coniugem, vt vix quidem exequias defunctæ valeant expectare.

Sic enim est hominum calamitas, vt vitam quam viuunt, diuq; vixerunt, etsi malam sciunt, mutare tamen aut nequeant, aut nesciant. Hinc Oratius ad eos, qui suã vitam damnantes, alienam laudant.

Hor. Sermon. lib. 1. Sat. 1.

Iam faciam quod vultis (inquit) *eris tu, qui modo Miles,*
Mercator: Tu, Consultus modo, Rusticus, hinc vos,
Vos hinc, mutatis discedite partibus, eia
Quid statis? *Nolunt.*

Plurima sunt, mi Iohannes, quæ nos cogunt perseuerare; sed nulla est ratio prior, quam ambitio, quę tanquam æmula Charitatis, omnia fert onera, quamuis grauissima, vt honoribus seculi, ac popularibus laudibus efferatur. Quod si humiles essemus, & animam potius lucrari, quam vanã venari gloriam studeremus, haud multi profecto in hæc tædia sese reciperent.

Ad eos igitur, qui propterea sequi Reges volunt, quia Prælatos & doctos in Curijs esse conspiciunt, Saluatoris nostri Iesu vocem obijciam: Super Cathedrã Moisi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæ dicunt facite, secundum opera eorum nolite facere.

Mat. 23.

cere. Non igitur, quod insignes viri, ac Magistri vitę, faciunt, sed quod facere debent, imitari oportet.

Expendat prius seipsum, qui se dicare vult Regibus, an tolerare labores, famem perpeti, sitim sufferre, contumeliasq; valeat sustinere. Deinde prospiciat diligenter, vtrum ex Curia consequi possit, quod suus desiderat animus. Mihi & angustiæ apud Principes infinitæ, ac intolerabiles esse videntur, & quæ homines optant, illic nullátenus inueniri: quo fit, vt verā Patris sententiam arbitrer, de qua nūc transigemus. Repetenda est igitur paterna vox, qua ille STVLTOS esse autumat singulos, qui non coacte Principibus seruiūt. Clara vox, dura tamen fortasse nonnullis videtur. Sed audiant, quo pacto probetur.

Stulti, quoad propositum nostrum, tribus modis dicuntur homines. Stultus est, qui quæritat, quod nequit inuenire. Stultus & qui quærit, quod nocet inuentum. Stultus quoque & ille est, qui fine proposito, ad quem tendit, cum plures habeat calles, deteriorem deligit, & periculosiorem. Vt si Romam petiturus, cum duæ sibi pateant viæ; altera breuis atque secura; altera longior, plena latronibus; pergere *Stulti tripliciter.*

 vlti-

vltimam velit. Curiales igitur homines, aut primam ſtulticiam incidunt, aut alteram, aut tertiam. Aut enim quod aſſequi nequeunt inueſtigant; aut quod inuentũ detrimento ſit, quærunt; aut ſemitam peiorem deligunt. Quas res melius longe cognoſcemus, ſi, quæ ſint Curialium deſideria, & quos ſibi conſtituant fines, præuiderimus.

Aulicorum finis quincuplex.

Mihi videntur omnes, qui Regum, vel Principum latera ſtipant, aut HONORES quærere, Famamque ſeculi; aut POTENTIAM; aut DIVITIAS; aut VOLVPTATES; Nec inficias eo, nonnullos eſſe, qui ſe apud Principes LVCRARI ANIMAS arbitrentur, vt meritum tanto maius naniſcantur, quanto cum maiore periculo militauerint. De his igitur QVINQVE generibus Hominum, dicendum eſt nobis, quos tantũ diſtare vt ſapientes ſint oſtendemus, vt facile quiuis eoſdem deliros, amentes, inſanos ac ſtultiſſimos queat cognoſcere.

Prius tamen, quam hoc aggrediar, omnes oratos volo, ne me quempiam Principum carpere cenſeant, aut quouis pacto, sereniſſimo diuoque Principi meo, Friderico Cæſari, detrahere. Nam etſi dicturus

ςturus inter diſputandum fuerim, vicioſos Principes eſſe, & libidinum ac ſtulticię ſeruos; non tamen id omnibus aſcripſerim. Nec enim me latet, inueniri nonnullos, virtutum ac ſanctionis cultores, qui à Principatu vicia, diuino quodam munere ſeparent. Quemadmodū boni apud Gentiles Principes, Auguſtus, Veſpaſianus, Titus, Traianus, & Antoninus, pij ſunt habiti: & apud Chriſtianos, Conſtantinus, Arcadius, Honorius, Theodoſius, Carolus Magnus, &, quem Bamberga veneratur, Henricus Sanctus: in quibus ſi vel pietatem, vel manſuetudinē, vel pacis amorem, vel iuſticiæ Zelum, vel Religionis affectum requiris, Fridericum noſtrū nulla in re minorem inuenies. Tantumque abeſt, vt meis ſibi ſcriptis velim detractum, vt eius laudes illuſtrare, & verſibus, quoad poſſim, & oratione ſoluta, decreuerim. Nec me nunc eius Curia detineret, niſi ſua me bonitas allexiſſet. Sed me, quanta ſit Curialium infelicitas, oſtēſurum, non quid ipſe, & alij pauci, quos æquus amauit Iupiter, ſed quid communiter Principes agant, referre oportuit. Quod ſi omnia, quæ inferius mala recenſentur, in noſtri Principis inueniri Curia dixerim, apertè mentiar;

mentiar; nec minus mentiar, ſi nihil illorum hîc eſſe contenderim. Nec ego quenquam momorderim: Quia ſic eſt hominum vita, vt plus mali vbique quam boni reperiatur.

Noſtra intentio eſt, fatuos eſſe, qui Principibus adhærent, diſputando monſtrare. Iam igitur illos aggrediamur, qui tanquã appetentes HONOREM Principibus ſeruiunt. Aduerſus quos cum Iuuenali libet exclamare; O Medici mediam pertundite venam. Delirant enim, qui propter honorem Principibus famulantur: ad quorum purgandas mentes, nõ meis ſcriptis, ſed elleboro potius eſſet opus. Quis enim in aulis Principum verum honorem dixerit inueniri? Dantur honores in Curijs, non ſecundum mores, atque virtutes, ſed vt quiſque ditior eſt, atque potentior, eo magis honoratur. Nam quem vnquam pauperem, tametſi præſtanti virtute præditum, Regum aliquis ſublimauit?

I. Qui honores in aula venantur.

Audio quod obijcis: fuerunt nonnulli, dicis, obſcuro nati loco, atq; inopes quõdam, qui nunc omnibus ſunt prælati; Sic enim Principes voluerunt. Sed quos, oro, ſic Prælatos ais? nempe quos ſuis moribus conformes inuenerunt. quibus moribus?

ribus? auariciæ, libidini, luxuriæ, crapulę, crudelitati. Sic est sane. Placet auaro Regi, qui pecunias vndecunque refert. Gratus est libidinoso, qui virgines atque maritatas sibi conciliat. Carus est ebrio, qui combibit. Crudeli iocundus est, qui sanguinem quam multum effundit humanum. Nemo acceptus est, nemoq; ex paruo statu prefertur alijs, nisi magno aliquo facinore sese Principi conciliauerit. At hic non est verus honor & stabilis, qui ex radice venit non bona. Vera gloria, vt inquit Cicero, est illustris ac puagata multorum & magnorum, vel in suos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum, fama meritorum; quam nec Principes assequuntur, nec qui seruiunt eis: Cum vicijs omnes fere sint deditis, nec bonum aliquid agant, nisi fortuito. *Cic. pro Marcel.*

At transeunti per vrbem tibi inclinabunt homines: denudabũt capita: cedent loco: salutem dicent: manus osculabuntur. Ita est certe. At vbi transieris, digitos retrotendent, subsannabuntque tibi. Et ille est, inquient, qui Principem nostrũ seducit; qui bellum suadet; qui vectigalia auget, qui onera nobis importabilia cumulari facit; & etiam, qui verso pollice,

quos vult, ex nobis occidit: quem Diį Deæque omnes perdant, ne ſub eius tyrannide diutius ſimus.

Huiuſmodi eſt honor Curialium, qui ſi te, quisquis es, oblectat, non verebor te ſtultum atque inſanum affirmare, qui oblectationes tuas in re fallaci, varia, atque omnino falſa, reponas. Ac Paraſitorum vocibus, qui te cœnarum gratia laudant, quantum tribui debeat, tu ipſe noſti. Prætereo hiſtriones atque ioculatores, & totius vulgi laudes, quas vir prudens pro nihilo reputabit: quia nulla eſt vera laus, niſi à verè proueniat laudatis.

Adde quòd omnes Curiæ ſequaces, non quibus præſint, ſed à quibus præcedantur inſpiciunt, & altius ſemper euolare nituntur. atque cum reliqui præceſſerint, ipſis etiam Regibus incipiunt inuidere, quia inexplebilis eſt humanæ gloriæ appetitus. Cui poſtquam te dederis, ſemper illud Ciceronis in ore habebis: Quicquid eſt, quamuis amplum ſit, id certe parum eſt, cum eſt aliquid amplius.

Eſt inſuper Philoſophorum ſententia, ac præſertim Ariſtotelis; In honoribus non eſſe finem ponendum, quia & res incerta

certa est, & in potestate alterius. Et qui seruit honori, & huius seculi famæ, necesse est, vt multa faciat inuitus: Interdum plus hominibus, quam Deo, seruire cogitur. Duo enim cum sint honores; alter virorum bonorum; alter multitudinis; stultus est qui primum apud Regem venatur; quia inueniri verus honor non potest, vbi virtutes non regnant. Qui verò alterum, multò stultior est; quia & rem perniciosam sequitur, & viciosam, & instabilem, & incertam. Atq; hi quidem perpetuis cruciatibus affliguntur, cum sibi præferri plurimos, & sæpe indignissimos videant. Nec, qui bonorum est auidus, vsquam magis, quam in Curijs, angitur. Atq; iam satis de Honore sit dictum.

Nunc ad POTENTIAM eamus. Pulchrum videtur apud Principem esse potentem, tutorem vocari Regis, præcipere alijs, bellum indicere, pacem componere, posse obesse & prodesse quampluribus. Sed multi decepti sunt, dum posse apud Reges plurimum quæsiuerunt. Apud Tiberium, Neronem, Claudium; tam potens Seianus fuit, vt Imperatore apud Capreas cum Rege Chaldeo sedente, solus hic Imperium administraret, secun-

II. Qui Potentiam venantur.

ſecundumque illum, totius orbis caput veneraretur. Et quippe ſi ante ipſum oppreſſa Cęſaris ſenectus fuiſſet, hunc vnum populus Auguſtum vocaſſet.

Sed nulla eſt apud Principes diuturna poteſtas; nulliusque ſtatus debilior, nullius incertior, nullius infirmior eſt, quam eius, qui apud Principem videtur eſſe potentior. Sunt æmuli multi; ſimultates, odia. Omnis potentia magnæ inuidiæ ſubiecta eſt. Incidunt ſuſpiciones, parantur inſidiæ, perſtrepunt vndiq; delatores. Atque vt oculus parua feſtuca turbatur, ſic Principum gratia offenſiuncula vel minima cadit: Interdum etiam nullo crimine perditur. Tantum apud Principes ſubdola lingua poteſt.

Apud Adrianũ Imperatorem; delatorũ voces adeo valuerũt, vt amicos, quos ad ſummũ prouexerat, poſt hoſtium loco habuerit. Sed ad Seianum redeo. Viſne ſalutari ſicut Seianus? & tam eſſe potens, vt ille fuit? At hic vnica Principis Epiſtola captus eſt, per vrbem vnco ductus ad ſpectaculum, & in Tibridis ripa truncatus. Omnesque ipſius ſtatuæ ex Capitolio deiectæ ſunt.

Pellege ſacras literas. Quot Saul? Quot

Dauid?

Dauid? Quot Salomon ex his, qui apud se potentes erant, occidi iusserunt? Abimelech, quia potentem vidit apud se Isaac, ex regno repulit: forsitan & interfici iussisset, nisi digitus Dei cum illo fuisset.

Clitonem, suæ nutricis filium, quia Philippi patris laudes comparare voluisset, Alexander Macedo sua manu interemit. Extant nostri temporis admodum multa exempla, quæ consulto fugio, ne cui videar detraxisse. *Plutar. in vita Alexand.*

De magno regni Apuliæ Senescallo, nemo me dicere prohibet: quia tuta est in mortuos reprehensio. Hic apud Reginam Ioannam primo in loco fuit; potentiamque suam firmiorem putabat, quia & stupris sese insinuauerat. At Regina conuerso in alium amore, percussores ad illum noctu transmisit: quo mortuo alios sibi concubinos substituit.

Pauci sunt, qui apud Reges perpetuo sint potentes. Sæpe qui heri placuit, hodie displicet. Nullum est in atrijs Principum maius studium, quã vt alios de gradu præcipitent, & se erigant. Potentiam quilibet appetit: nulla inter Curiales habitat fides: non frater à fratre tutus inuenitur, nec patri filius fidus est, nec filius

Patrem seruat. quilibet sibi studet: omnes præferri volunt, omnes mandare.

Si quis potens est, mille circa se oculos habet, & totidem linguas, ad ruinam eius aspirantes; & vnus hinc, alius illinc premit. Nimium multos timere habet, qui multum potest: & illũ omnes oppugnant, qui Principi gratior existimatur. Ruunt turres, quæ iuxta flumen sitæ, perpetuum in se aquæ cursum recipiunt. Quid tu facias, qui ex vnius voluntate dependes? in cuius amore nec ferro, nec plumbo, sed cera fixus teneris: quam vel infrigidatus amor excutiet, vel iræ feruor eliquabit.

Casparus Schlick. Non omnibus tantum arridet Fortuna (vti vides) quantum Cancellario nostri Cęsaris, Caspari Schlick, quem vel miranda fati clementia, vel singularis virtus atque pręstantia, (quę in paucissimis hominibus reperitur) apud tres Cæsares inter primores potentem reddidit. Alios vero vix vnquam vidimus in Curia Successoris tales esse, quales apud Antecessorem fuêre. Sed præcipitari complurimos ex gradu cernimus; ita vt quanto prius honoratiores, & potentiores censebantur, tanto exinde debiliores, & inhonoratiores fiant, & sint inimicis gaudio; Amicis vero & pro-

&propinquis,& sibi, dolori, molestiæ, atque dedecori. Est autem vulgatissimus eorum finis, qui apud Principes vel Honorem, vel Potentiam quæritant: quos in errore tam manifesto cōprehensos, stultissimos esse nemo negauerit: Nec plura de Potentia.

Nunc DIVITIAS prosequamur, quas minime dubium est complures mortales in curiales carceres attraxisse; qui cum Oratio se laborem ferre dicunt senes, vt in ocia tuta recedant. Quidam vero Iuuenalis referunt verba: *III. Qui Diuitias venantur.*

Quando ego figam aliquid, quo sit mihi tuta senectus
A tegete, & baculo. *Iuuenal. Sat. 9.*

Aduersus quos possum Saluatoris nostri sermonem referre, qui tam difficile dicit, diuitem intrare regna cœlorū, quā per foramen acus transire Camelum. quo fit, vt stultum sit Diuitias quærere, & spem patriæ cœlestis amittere.

Nec mihi quisquam timorem famis adducat, quasi non habeat Christus, vnde alat pauperes suos. Apostoli nauim & retia reliquerunt, inquit Hieronymus: nec tamen illis quicquā defuit. Libertas Christi Pauperum, & olera, Crœsi diuitijs præferun-

feruntur. Sed iſta fortaſſe nimium religiosè dicuntur, nec talia ſunt, quæ vulgo probari queant.

Agamus igitur pingui Minerua, conſentiamusque Iuuenali, & Ariſtoteli, ad Felicem vitam opus eſſe diuitijs: quia

Iuuenal. Sat. 3.

Non facilè emergunt quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi.

Sunt, qui ſe poſſe putant diuitias cumulare Principibus ſeruientes. At hi, vt diuitias comparent, libertatem vendunt, nec tamen diuitias aſſequuntur. Nam ſi tibi Princeps vel beneficia contulit, vel Feuda conceſſit, vel res alias; tanto magis ſeruire teneris, quanto maiora ſunt dona: Quod ſi aliunde neſcis, ex Gregorio diſcito; Cum enim, inquit ille, augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum.

Quòd ſi tunc ex Curia velis abire, cùm diues es factus, mox omnia perdidiſti. Inuenitur cauſſa, ſubmittitur accuſator, cõuinceris reus, etiam non commiſſi criminis; auferuntur bona, & ne conqueri vnquam poſſis, eripitur & vita.

Si vero in Curia perſeueraueris, oportet ad quęuis imperia Regis eſſe paratum, Ire in bellum, per latrones tranſire, nauigare in mari, manere in peſte, mille capi-

tis

tis adire pericula. Iustum & iniustum exequi mandatum; ridere & flere cum Rege: laudare quē laudat, vituperare quem vituperat: Nulla tibi in verbis, aut in operibus, libertas supererit.

Quid igitur stultius est, quam diuitias per tot tormenta cogere? cum sit manifesta phrenesis, teste Satyrico: *Iuuenal. Sat. 14.*

Vt locuples moriaris egenti viuere fato.

Nónne præterea deliramentũ est, cùm duo vel tres cumulauerint opes, omnes huius liberalitatis munificentiam expectare, & nō potius infinitos respicere, qui dum Regibus seruiunt, ad extremam inopiam sunt deducti. *Persius Sat. 2.*

Iam dabitur (inquit Persius) *iam iam, donec,*
deceptus & expes.
Nequicquam fundo suspiret nummus in imo.

Diuitibus nonnunquam dari solent diuitiæ, sicut in mare feruntur aquæ. Nemo pauper, quamuis diu & admodum vtiliter seruiuerit, tantum præmij reportabit, quantum diues ex obsequio paruo. Non enim seruitia in Curijs Principum, sed personæ ponderantur. Nam &

Paruos parua decent, & magnos munera magna.

Nec donare Reges solent, quod nequeant, cum libido fuerit, auferre. Itaque

nec rem donatam, ſi velis, alienare poteris, nec in aliud regnum transferre: nec ex ea quicquam diſponere, quod Regi non placeat. Non ſunt igitur tuæ huiuſmodi diuitiæ, quibus non potes vti pro arbitrio.

Quid, quòd neque teſtandi facultatem habebis. Namque ſi liberis careas, nemo tibi non Princeps erit hæres. Si adſunt filij, niſi & ipſi Principi ſeruiant, non ſuccedent tibi. Taceo, quot diuites necati iuſſu eorum ſint, qui eos ditauerant. Solent enim Principes ſic nonnullis largiri multa, ſicut & nos ſues paſcimus, vt eos, poſtquam impinguati fuerint deuoremus. Sic de Seneca, Longinoq; legimus, quos propter diuitias interemtos Iuuenalis affirmat, his verſibus:

Iuuenal. Sat. 10.

Temporibus diris igitur, iuſſuq; Neronis,
Longinum, & magnos Senecæ prædiuitis hortos
Clauſit, & egregias Lateranorum obſidet ædes
Tota cohors.

Perierunt enim & Laterani propter diuitias. Sancte igitur ſcriptum eſt, & vere: Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.

Adde quòd pauciſſimi Reges quæ ſua ſunt donãt. Rapiunt enim vt donent: quæ nec

nec vera ſunt dona, nec iuſtè poſſidentur. Cùm vix Regnũ vllum inueniatur, quod non ſit vel partum, vel continuatum fraude. Quid eſt quod largiri iuſtè Principes poſſint? Vnde pecuniæ? vnde iocalia veniunt, quæ apud Principes ſunt, niſi ex raptu vel venditione Iuſticiæ, aut ex ſpolijs Eccleſiarum? At iſta ſunt iniquitatis præmia, quæ nec Regi prodeſſe, neque tibi vtilitati, ſi donata fuerint, eſſe poſſint.

Relinquamus igitur hanc diuitiarum cupiditatem, quia non impletur auarus pecunia: & Auaro, vt inquit Hieronymus, & Seneca prius dixerat, tam deeſt quod habet, quàm quod nõ habet. Scimus Scripturam dicentem; quia non proderunt diuitiæ in tempore vltionis. Diues enim, cùm interierit, non ſumet omnia, & non deſcendet cum eo gloria domus eius. Viuamus, obſecro, tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.

Victus atque veſtitus, vt iterum Hieronymi verbis vtar, Diuitiæ Chriſtianorum ſunt: & has eſt potens nobis Dominus, abſque miniſterio Principum, tradere.

Diuitias veras apud Reges, vel non inuenimus, vel tales inuenimus, quas longè melius fuerat non inueniſſe, At hoc de di-

uitijs libâsse sufficiat: Ex quibus, ni fallor, monstratum est, stultitiæ operam dare, qui ob opes Principibus famulantur.

IIII. Qui ob Voluptates Principum Aulas sequuntur.

Nunc tempus admonet, vt de VOLVPTATIBVS disseramus, in quibus multi mortales beatitudinem posuerunt: Atq; in primis Epicurus, vir aliquãdo magnus, quem Philosophi nostri temporis magis verbis, quàm factis, reprobant. Nam quotus est, obsecro, vel Theologorũ, qui voluptatibus non inseruiat. Quamobrem fortè inueneris, qui aspernetur oculis pulchritudinem rerum; non odore vllo, non tactu, non sapore capiatur, secludatq; auribus omnem suauitatem: Huic homines, & fortasse pauci, Deos propitios, plæriq; autem iratos putabunt.

In Oratione pro Marcello Ciceronem declamantem inuenimus: quibus in verbis omnes QVINQVE SENSVS tetigit, quibus voluptates hauriuntur. Cumque duæ viæ sint, quibus humana vita continetur, Altera virtutũ, Altera voluptatum: Illa deserta, inculta, atq; interclusa frondibus & virgultis; hæc semper hominum frequentia teritur; nec quisquam est, qui voluptati non obsequatur. Suntque admodum multi, qui tãquam voluptatibus frui-

fruituri, obsequia Principum amplectuntur: quod quam stultissimum sit, operæ precium fuerit ostendisse: Ac de voluptate, quæ primum OCVLIS percipitur, primum dicamus.

Voluptas ex visu.

Oblectantur nõnulli, dum splendidos Equites conspiciunt, dum bella geri, exercitusq; concurrere vident; dum formosas cultasque mulieres intuentur: dum cœtus hominum ornatorum: dum ludos, dum iocos, dum pulcros equos, dum picturas, dum sericeos pannos, purpureos, aureos; dum mirificas vestes, insignes vrbes, egregias domos, alta palatia, marmorea templa, testudines, viridantia prata, lucos, fontes, flumina, feras: serenum aërem, montes apricos, amœnas valles, armenta, canes, & huiusmodi cætera contemplantur.

At hæc omnia multo iucundiora sunt priuatis hominibus, quam Curiæ obligatis. Nam qui seruitio Regum mancipatus est, in bello non vt spectator, sed vt miles aderit, & huc atque illuc concursabit, ac hostem ferire, seq; tueri magis, quam oblectare oculos cogitabit.

Mulieres non intuebitur, nisi cum Re-

gi placuerit: tuncq; illas videbit, cum alijs gratæ, sibi molestissimæ sunt.

Ornati vestibus homines, plus inuidiæ, quam voluptatis præbebunt: & alienos equos, & meliores, & nitidiores, quàm sui, non lætabitur inspexisse. Iocis atq; ludis perraro intererit, lateri regio semper assistens. Palatia vero, Templa, picturas, facilius spectare Mercatores, atque priuati homines, quam Curiales possunt.

Cumq; Reges perraro suorum regnorum limites exeant, vrbes inspicere non nisi vnius regni poteris. Nec quid apud alias Gentes sit preciosum, videnti tibi copia dabitur.

Ea quoque, quæ in campis sunt visu delectabilia, rarissime inspicies, domo clausus quasi captiuus, nec vnquam exibis, nisi cùm Rex vel venari voluerit, vel aliter animum relaxare: quod tum fiet, cùm maximè velles domi manere, cũ niues agros cooperuerint, vel cùm Solis feruore Mundus ardebit. Sed marcet plærunq; sub tecto, squalida pulueribus, pars maior Curialium: Nec in choreis atq; tripudijs fœminarum delectatio datur: cùm tu illam respicias, quæ in alium, & te nedum spernit, sed etiam odit.

Nulla

Nulla dies est, in qua res mille non videas, quæ tuum conturbent animũ. Semper tibi ante oculos inimici sunt, osculariq; manum persæpe cogeris, quam velles truncatam videre: facileq; plus amaritudinis, quam dulcedinis, visus tuus ex Curia reportabit.

At in AVDITV, dices, magna est Curialium delectatio, dum Nouitates totius orbis, viros sapientissimos loquentes, dum gesta virorũ magnorum, dum cantus, sonosq; audiunt Musicorum. Credo & hoc plærosq; decipere; Sed medendum est etiam huic parti, ne quis oblectaturus aures, Curiæ se astringat, ac molestiam pro voluptate percipiat. *Voluptas ex Auditu.*

Nam quod tu mihi de Nouitatibus ais, absq; negocio confuto: cùm plura illic displicentia, quàm grata, audiantur. Cùm nunc ciuitates captæ, viri præstantes occisi, spolia facta, rapinæ commissæ; victores mali, victi boni sæpius referantur.

Viros autem sapientes, qui de moribus ac secretis naturæ disputant, quiq; historias referunt, non nisi per adulationes apud Principes accipies. Quod si nonnunquam Oratores, atq; Philosophi diserti, Curias adeunt, Orationesq; coram Princi-

cipi-

cipibus habent; non tam dulce eſt, eos illic audire, vbi cum metu magis loquuntur, quam in ſcholis, vbi ſunt liberi, & ad veritatem, non complacentiam fantur. Hinc eſt, quod Athenis, dum libera ciuitas fuit, & Romæ, dum conſules Remp. gubernabant, litterarum ſtudia maxime floruerunt.

In Curijs vero, quilibet ſermo per adulationem habetur, nihil ad verum dicitur, Commendantur mali, boniq; vituperantur. Sunt qui Veterum narrant hiſtorias, ſed mendoſe adq; peruerſe. Claris autoribus non creditur, ſed fabellis inanibus fides adhibetur.

Plus Guidoni de Columna, qui bellum Troianum magis poëtice, quam hiſtorice ſcripſit; vel Marſilio de Padua, qui tranſlationes Imperij, quæ nunquam fuerunt, ponit; vel Vincentio Monacho; quam Liuio, Saluſtio, Iuſtino, Quinto Curtio, Plutarcho, ac Suetonio, præſtantiſſimis autoribus, creditur.

Cithariſtas vero, ac Cantores, quamuis Curia ſolet optimos habere, (plus enim hoc genus hominum, quam Philoſophorum vel Poëtarum, Principibus placet.) non ad tuam, ſed Regis audies voluptatem.

tem. Cumq; dormire, aut aliud opus agere velles, tum potissime istorum sonis, aut cantibus inquietaberis.

Omnibus hoc vitium est cantoribus (inquit Oratius) *inter amicos,* *Hor. lib. 1. Ser. Sat. 3.*

Vt nunquam inducant animum cantare rogati,
Iniussi nunquam desistant.

Quo fit, vt cum nolis audias, cum velis; nusquam appareant. Et tamen his, singulis Calendis, aliquid cogeris elargiri.

Quid, quod omnia iurgiorum atq; rixarum sunt plena: Vnus alteri maledicit. increpant se inuicem: Blasphemiæ in Deum, sanctosque iaciuntur; omnes in confuso loquuntur. tot clamores sunt, vt vix socium, qui prope te est, valeas audire. Quilibet sua facinora narrat, cum derogatione alterius. Illi suam patriam laudant, & alienam vituperant: spurcissima vndique verba personant: nulla in verbis modestia, nulla reuerentia, nullus pudor. Scurræ semper audiuntur, vel detrahentes, vel ructantes. Nam his solis libertas est, quicquid vel facere velint, vel dicere. Ad hæc, si quis sapiat, surdus potius esse velit, quam audire.

Iam de TACTV pergamus, in quo Venus potissime dominatur, quam nonnulli, re- *Voluptas ex Tactu.*

li, rerū ignari, blandissimam in Curijs esse confidunt: Ex eo errantes, quod mulieres eos amare consueuerunt, qui vestibus sunt ornati, qui crines ventilant, qui torneamentis intersunt, qui canunt, qui choreas ducunt, qui semper læti atq; hilares inueniuntur, sicut Curiales esse videntur.

Sed minimè ita est, vt grata sit hîc Venus. Nam si qua est mulier, quæ hos amat, non tamen eis se credit, quos loquaces agnoscit iactatores, instabiles plurium amatores: nisi forsitan aliqua est, quæ famam paruifaciat; tuncque multis circa vnam cōcurrunt, nec vllam, sine riuali, diliges. Hinc rixę, contentiones, odiosa verba, interdum verbera, & homicidia. Nullam nutrire modico poteris, cui assint qui multa promittat. Veniet alter te pulcrior & acceptior: Nulla tamen fides est, quæ vno contenta sit viro. Sæpe cùm amicam petes, aut alium cum ea inuenies, aut isse illam ad alium reperies.

Quod si tibi grata obtigerit & fida puella, non poteris, nisi raptim, & per furtum esse cum illa. Neq; seruire Regi, & Amori poteris: quia vterq; insolens Dominus est, & qui hominem totum vult sibi.

Adde

Adde, quod nedum amicam, sed nec coniugem in Curia pudicã seruabis. Tot sunt vndiq; Proci, tot formosi Iuuenes, tot Promissores, tot Lenæ, vt nec castissima coniunx resistere tot impugnationibus possit. Quod si probissima fuerit, deserenda est tamen, cùm indies Curię Principum moueantur, siue coniunx sit, siue concubina. Tunc anxietates mentisq; dolor; quia nec cum amica remanere, nec illam ducere tecum potes: & instabilitatem fœminæ remanentis, cuius est in horas mutari, semper suspectam habebis. Iunge irrisiones, ac detractiones, quæ fiunt amantibus. Dinumera discrimina; pondera suspiciones; omnia hæc, cùm sint priuatis grauia, Curialibus importabilia, nec vsquam in atrijs Regum tactus oblectatur.

Sequuntur alij duo sensus, ODORANDI, & GVSTANDI, qui partim coniuncti sunt, partim disiuncti: Nam dum fercula redolentia, sapidaq; comedimus, vterq; sensus lætatur. Si qua aut florum, aut vnguentorum sequatur fragrantia, non gustum, sed odoratum iuuabit, & officium suum odoratus amittet, cùm in palato cibus masticabitur. At hi quibus in solo palato

Voluptas ex Odoratu & Gustatu.

lato

lato eſt cauſſa viuendi, ſtulti ſunt, & pecudum vitam, non hominum, ſectantur.

Nam & Apoſtolus eos vituperat, quorum Deus venter eſt: Rem namq; damnatam ſequuntur; quãuis plurimi propterea velint Regibus obſequi, vt bibere atque edere maxime poſſint. Et quia Principes optimis vtuntur vinis atque cibarijs, veſci quoque ſe eiſdem ſperant, potaturoſque cum Regibus ſe confidunt. At ſicut Muſcę pingues mẽſas, ſic iſti vnctas dominorum popinas inſectantur: quamuis regalibus epulis magis muſcæ, quam iſti potiantur.

Videamus igitur, apud faſtigium regale, quanta ſit Curialium edendi atque bibendi voluptas, quæ ſane tunc optima eſt, cum fames adeſt, atque ſitis: cum nec illa, nec iſta protrahitur. At in Curia perraro ante meridiem cibaria diſtribuuntur: quo tempore non famelici, ſed rabidi ſunt homines. Quibuſdam vero expectatio longa, debilitatis ſpiritibus, appetitum ſurripuit: alij modico pane, vel caſeo pręguſtato, orificium ſtomachi clauſerunt: quo fit, vt alij vorent, quicquid apponitur, & ad crapulam impleantur: alij vel minimum ſumere nequeant.

Interdum in ortu diei, & ante lucem, fer-

fercula posita sunt; quæ nisi comederis, vsq; in noctem ieiunabis: nec tamen stomachus officium suum fecit, nec appetitus adest.

Cum post meridiem pransus fueris, rursus post horam cœna ponitur: nunquam in suo tempore cibus affertur.

Hinc subitæ mortes, atq; intestata senectus; & orexis, & Vomitus, & iliorum dolor, & Calculus, & morborum omnia genera veniunt. *Iuuenal. Sat.1.*

Qualis Cœna, tale Vinum, quod siccida nollet lana pati, vt Iuuenalis ait, affertur: quod cùm biberis, insanus fias, acetosum, aquaticum, corruptum, pendulum, acerbum; aut frigidũ, aut nimis tepidum; colore saporeq; malo. *Iuuenal. Sat.5.*

Taceo illos Principes, qui tantum Cereuisiam in potu præbent, quæ cum vbiq; amara sit, in Curijs tamen & amarissima est.

Nec tibi aut in argento, aut in vitro, dari pocula credas. namq; in vno furtum timetur, in altero fractura. Potabis igitur ex ligneo Scypho, nigro, antiquo, fœtido; in cuius fundo fex concreta est; in quibus sępe minxisse Domini consueuerunt. Nec tibi vni Scyphus dabitur, vt si velis, vel

aquam miſceas, vel purum bibas; ſed in communi potabis, atq; ibi mordebis, vbi nunc vel peticuloſa barba, vel ſaliuoſum labium, vel immundiſſimi dentes fuerunt.

Interea vinum antiquum in tua præſentia Regi propinabitur; cuius tanta fragrantia eſt, vt eius odore tota domus repleatur. Bibet is Muſcatellum, Maluaticum; ex Gallijs, & Matrigali, ex Riparia Genuenſi, ex Hungaria, atq; ex ipſa Græcia ſibi afferri vina iubebit; nec vnquam tibi vel minimum cyathum communicabit, quamuis cardiaca paſſione crucieris. Quod ſi bonum vinum ante te ſit, non tamen iucunde ſapiet, cum melioris fragrantiam tuæ hauſerint nares.

Velles nonnunquam bibere, ſed non audes, niſi maiores incipiant. Nec famuli vinum apponunt, niſi poſt medium menſæ: quod ſi ante petieris, & importunus, & petulans, & ebrioſus, iudicaberis; nec ſine ignominia, quod poſtulas, obtinebis; nec ad tuam, ſed ad maiorum ſitim potabis.

Vinum poſtquam in menſa fuerit, per multas manus tranſibit, antequam ad te veniat. Nec ſperes mundari Scyphũ, dum pincer-

pincernæ remiſcent, quamuis in fundo fex hæreat, vel intus aliquis ructauerit. Nam ſicut in templis aquę benedictę ſubinfunditur; ſic in atrijs Principum vinaria vaſa, quibus famuli potant, in anno ſemel euacuata mundantur.

Nec in Vino tantum, ſed in Aqua quoque cruciatus ineſt. Nam

Si ſtomachus Domini (vt Iuuenalis inquit) *Iuuenal. Sat. 5.*
feruet potuq́ʒ ciboqʒ,
Frigidior geticis petitur decocta pruinis:

Quibuſdam in æſtatem ſeruatur glacies, atque hac in feruoribus vina frigeſiunt: nec tibi minima portio dabitur, maioriq; ſiti cruciaberis, quia videndo nihil guſtabis.

Quid tibi de mappis dicam? nigris, laceris, vnctis, quæ nedum tibi faſtidium mouent, ſed manibus applicantur, teq́ue ſequuntur, ſi quando te volueris tergere: quod plures veriti, madidas pingui iure manus, in proprijs deſiccāt veſtibus. Hinc eſt illud abdomen, quod in pectoralibus Curialium cernis, vt ſatius ſit, in ſtabulis porcorum, quam in Curijs comedere dominorum. Nam menſalia illa munda, ſericia, duplicata, ſolis Principibus ſeruiunt, & indies mutantur: tua truncis affi-

xa tam diu, vt discerni à mensa possint.

Audi nunc cibaria, & sume Voluptatē, si potes. Nulla tibi alia mactantur animalia, quam boues, capræ, porci, vel Vrsi: nec ista recentia, vel paululum trita, sed postquam fœtere cœperunt, dispensatores emere solent: nam quo minoris emunt, eo magis furantur.

Carnes tuæ frigidæ, bis coctæ, immundæ, insipidæ, fœtentes, fumo & carbonibus plenæ, nullis condimentis, nullis salsamentis, speciebusque nullis apparatæ: Caules putridi, rapæ marcentes, & mucidæ, legumina semicocta; Ciceraque pisis, fabis, lentibus, interdum & pulueribus atq; cineribus mixta.

Caseus raro ad te venit, aut si venit, viuis est plenus vermibus, vndiq; perforatus, situ squalidus, saxo durior. Butyrum fœtidum, lardumq; rancidū tua fercula condit. Oua tunc apponuntur tibi, cum iam pullos alūt. Pira & poma marcida, quæ nisi tu comederes, porcorū esca fuissent. Oleum, quo tibi excoquuntur fercula, de lampadibus sumitur, vel lucernis, cuius fœtore fugari serpentes possent; quale illud fuisse credendū est propter quod Romæ cum Bochare nemo lauari volebat.

Ego

Ego magnifico hero meo Caſpari, Cancellario, gratias ago, qui me hac ex ſentina immundiciarum detraxit, & ad lautam eius menſam deduxit: quamuis niſi ipſe fuiſſet, iam Curiarum tædijs renunciaſſem. Sed perſequar cœptum iter.

Piſces tui vel Lucij parui, vel Carpones, vel halecia. Si natalicium fuerit, poteris & Renkam guſtare, luti, in quo iacuit, odore fœtentẽ, & Anguillam colubri cognatam, aut hoſce piſces, qui apud cloacas vrbium nutriuntur. Si quis tibi nobilior piſcis apponetur, quatriduanus erit.

Panis tuus niger, & adeo durus, vt vix geminis dentibus frangi queat. Et quamuis eodem precio ſæpe niger & albus panis ematur, ne tamen aſſueſcas, ſemper nigro paſceris. Voluntq; Domini aſſidue inter ſe, ac ſeruos, diſparitatem notari, quamuis neq; voluptati nonnunquam, neq; vſui fuerit.

Tua inſuper fercula eadem ſunt: facileque in annum, quid tibi edendũ ſit, ſcire poteris: quæ res admodum voluptatẽ diminuit, quæ ſolet varietatibus irritari. Poſſet forſitan aliquis hoc tolerare, niſi meliora præ ſe ferri continuo cerneret: ſicuti Curialibus accidit, qui dum ſordi-

dum panem terunt, dumque in morem equorum vel ordeum, vel ſpeltam vorant, aut, quas vocant, caſeatas: Interea Domini piſcem, quem Corſica miſit, vel Tauromunitanæ rupes. Sæuientia namq; guttura ſatiare non ſufficiunt noſtra flumina, nec maria: dum piſcatores proxima quæq; ſcrutantur retibus, nec piſcem ſinunt in vicinia creſcere.

Ecce mox alium, qui longi latiq; pectoris; nec non Squillam defert, aſparagis vndique ſeptam: Cuius cauda nedum familiam, ſed hoſpites quoque, ſi qui affuerint, conuiuasq; deſpicit. Ille Murænam adducit ex Sicilia, quam inter Scillam & Charybdin cepit, dum Auſter ſe contineret. Quid Accipenſeres, Trutas, temulas, aut alios piſces enumerare attinet? Quicquid in aquis ſuauius alitur, ante Principem, atq; id vel aſſum; vel oleo Venefrano, vel vino coctũ optimo, inter odoriferas herbas, intueberis.

Maxima inter piſces tibi inuidia accreſcit, nec minor inter carnes: Cùm Ceruum, Leporem, Aprum, Capream, Caſtorea, Faſcianum, Perdicem, Gruem, Pauonem, Orycem, Gallinam, Turdos, Merulas, Ficedulas, Ardeas, Anſeres, Hœdulos,

Agni-

Agniculos, Cuniculos, Asperiolos, & quicquid volat, & quadrupedat saporis egregij, vorantem Principem videas; atq; hæc egregie condita, pulmentarijsq; præparata suauissimis: quæ cum respicis, nihil ex his, quæ ante te sunt, mordere potes: sed expectas, & ad comitẽ dicis; Ecce iam dabit nobis semiesum Leporem, aut aliquid de clunibus Apri: Iam piscem assum, iam congelatum aromatico iure ad nos mittet: Iam pullũ gallinaceum, iam duas auiculas destinabit. Sed euanescit omnis cogitatus tuus. Nam Curialibus nihil horũ porrigitur, nisi fortasse ad cruciatum tuum, aliquid socio, tibi assidenti, mitteretur, quo scires, illum te Principi cariorem. Nonnunquam & tibi tantillum dabitur, non quo satieris, sed quo magis afficiaris tædio, quam suaues sint epulæ Principum sciens.

Panem ante Dominum niueum, ac molli saligine factum aspicies; ad quẽ pistandum proprius eligitur, ac magno stipendio retinetur artocopus. quem si tangere volueris, increpatus percutieris, qui panem tui canistri non receperis, nec intactum heri dimiseris.

Quod si Ver fuerit, & optata tonitrua

cœnas maiores reddiderunt, raduntur Tubera terræ, & vsq; à Lybia deferuntur Boleti optimi, quales edere ſolebat Claudius ante illum, in quo venenum vxor ſibi porrexit. Curialibus autem viles & ancipites Fungi ponuntur, & in quibus ſæpe mors editur.

Poma Principis talia ſunt, qualia ſorores dicuntur Heſperides habuiſſe; & his ſolum oblectari potes. tam enim odorifera ſunt, vt nõ ſolum propinquos, ſed longè etiam ſtantes odore ſuo perfundant. Tangere tamen illa non poteris, aut quouis pacto guſtare.

Caſeus ex Parma, Placentiaq; deducitur: ſudans, cereus, pinguis, ex ouibus factus, quæ ſolum ſerpillum, cum ſuauiſſimis herbis, depaſtæ ſunt.

Structorem interea ſaltantem per domum, & Chiromanta volanti cultello ante Dominum diuerſis geſtibus leporem atq; gallinam ſecantem ſpectabis; qui te nihil horum permittit tangere, quibus oblectareris.

Quis eſt, qui rebus in iſtis voluptatem eſſe Curialibus credat? quis non potius pœnam ingentem, cruciatumque maximum recognoſcat? An non ſimilimum eſt hoc

hoc tormentũ illi, quod Poëtæ finxerunt de Tantalo, qui nec in aquis bibere, nec in pomis edere poteſt, quamuis ad mentum vſque vtraque ſibi pertingant?

Quid quod in menſa Princeps aſſiduè fabulatur, atque tacenda, dicendaque fatur; cùm tu nec loqui nec hiſcere audeas. Nam ſi fortè mutire præſumſeris, aut nutu aliquid ſignificare, quaſi caſus per plantas educeris forâs, ac vel latro, vel fur vocaberis, vel adulter.

Maxima quæq; domus (vt Iuuenalis ait) *ſeruis eſt plena ſuperbis.* *Iuuenal. Sat. 5.*

Ille panem magno cum murmure porrigit; ille indignatur quod ſe aliquid poſcas, & quod, ſe ſtante, recumbas. Aut non vident famuli defectum menſæ, aut, ſi vident, negligunt emendare. Sæpe tibi vinum, vel panis deerit, nec tamen aliquid iſtorum poſcere audebis. Si vel aquam, vt vinum domes, vel acetum, vt piſcem mergas, vel ſal, vt carnes aſpergas, vnquam petieris, importunus diceris.

Enumero tibi ſedentium tędia; ſed maiora illorum ſunt, qui ſtantes ſeruiunt, & quoties aliquid mordes, ipſi tecum hiant, & aërem ſolum capiunt, qui ſolis paſcuntur

tur cœnarum reliquijs. Sed accipe molestias alias.

Sunt in Curia diuersæ dapes. Nam raro minus quatuor ferculis cœna paratur. At ista nunquam, vt optares, ex ordine dabuntur. Semper quod vltimũ velles, erit primũ, cum pane satur, & vrsi plenus dorso fueris: tunc tibi cibaria meliora porrigentur, vel vt stomachatus renuas, vel ad crapulam, cũ tuo maximo damno, comedas. Quod si quis casus meliores epulas initio mensæ concesserit, mox illę ex oculis auferentur. Est enim magna ministris diligentia, ne diutius res preciosiores esse in mensa permittant. Nam & in ponendo tardiusculi, & in leuando celerrimi sunt.

Aspice insuper, In Paropside quot manus enatant circa carnes? quot cultelli festinant? quale periculum illic manum apponere, nisi quis Chirothecam ferream receperit? Sicut apud Strigoniensem Archiepiscopum, illum, qui ante præsentem secundus fuit, Florentinum quendam fecisse commemorant. Contigit enim, vt nonnunquam alienum quis digitum, vel portiunculam manus, acceperit, atq; momorderit, vituli carnem, vel bouis existimans.

Mensæ

Mensæ in Curijs vndiq; circundantur edentibus. Cibaria supra caput tuum, & humeros afferuntur, sæpeque super te ius totum effunditur. Hic te premit, is raptat, & in faciem tuam vomit. Inter ferculum & ferculum magna fit mora, tempusque longum expectando consumitur; cùm interim nec spuere, nec screare potes, nisi scurrarum numero velis haberi.

Nunquam certa comedendi est hora. Si tamen in ipso mensæ initio non affueris, cœna mulctaberis, aut iurgjis afficieris acerbis. Inter hæc nec porrum, neq; cepe, neq; allium, quia venenum ab Oratio dicitur, comedere poteris. Nec igitur quæ Principes edunt; nam illa tuum ventrem dedignantur: nec quæ Rustici vorant, quia fœtorem Dominis ingerunt, gustare permitteris.

Crassis igitur illis, & nullo sapore conditis vteris dapibus. In quibus si voluptas esset aliqua, cessaret tamen, quia continuæ sunt, & immutabiles.

Namq; voluptates, (vt Iuuenalis affirmat) *Iuuenal. Sat. II.*
commendat rarior vsus.

At in his rebus tantum deest, vt gaudium aliquod intercedat, vt malè iudicare non existimem, qui summam in eis miseriam,

riam, summamque cordis afflictionem posuerit.

Sed stultum atque imperitum vulgus hæc tædia non animaduertit, solumque suspensas auro vestes, ac sublimes respicit in equis milites. Et cùm opes, argentum, aurum, famulorum cateruas, & ornatum exteriorem intuetur, miserias interiores nequaquam considerat. At Seneca, summa prudentia vir, Isti, inquit, quos pro felicibus aspicitis, si non quæ cernuntur, sed quæ latent videritis, Miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem suorum parietum, extrinsecus culti.

Quò fit, vt Curialibus, qui propter irritamenta gulæ, Principibus seruiunt, nedũ ciues priuatos, qui cum iucunda cõiuge, inter dulces liberos, castè ac parcè comedunt; vel Ruricolas, qui medias inter oues, castaneas molles, & mitia poma, cum lacte, vorantes, nitidi fluminis vndas exhauriunt; sed ipsos quoque, qui in crepidinibus petrarum, vel in pontibus, vel ad Ecclesiarum valuas mendicant, sine cunctatione præponam. Cum illis nec ex sententia succedat quod appetũt, nec, si successerit, meliores propterea beatiorésve fiant. Sunt igitur omnes stulti, qui ob

has causas in regium famulatum sese recipiunt.

Cæterum cùm ab initio dixerimus, quosdam esse, qui tanquam ANIMÆ consulturi, Regalibus sese dedunt obsequijs (Existimant enim consulendo Regibus, vtilitatem Reip. promouendo, pupilli & viduarum tuendo causas, afflictis & inopibus succurrendo, tanto magis Deo placere, quanto maiore tædio ista peragũt.) respondendum est etiam his; Ne, qui stultiores sunt alijs, sapientiores omnibus videantur.

V. Qui Animas lucrari volunt in Aula.

Quamuis neminẽ adhuc cognouerim, qui non suum aliquod temporale, commodum apud Reges insectaretur: Fingamus tamen aliquem fore, quem sola salutis Animæ ratio moueat. An ita est, vt hoc in Curia sibi possit obtinere? Consulemúsne nos viro bono, in obsequio vt se Regis immergat? Putabimúsne sic animã lucrefieri? Mihi, hercule, non fit versimile, in Curijs Principum, vbi tot vitia regnant, vbi tot irritamenta ab exercitio virtutum subducunt, virum aliquem bonum posse perseuerare.

Nanque vt Sessor bonus in equo retrogrado, vel calcitroso excutietur, dilabeturque

turque tandem; Sic vir bonus & iuſtus apud Reges diffluet; vel imminutus rerum licentia ac luxu, & tot immundicijs tum viciorum, tum hominum circumuentus, declinabit à via, & in ſcopulos ruet, ventorum viribus actus & tempeſtatũ. Quod cùm Plato in Athenienſi Curia perſpexiſſet, fugere potius ſtatuit, quàm inter tot viciorum inquinamenta morari.

Quibus moribus Aulicum eſſe præditum oporteat.

Cognoſcito igitur teipſum, qui ſequi Curiam ſtatuis, & an Platone ſis maior, animaduertito; an virium plus tibi, quàm illi ſit, ad reſiſtendum malę conſuetudini. Oportet in Curijs obſequi omnibus, cõmunicare quod habes, ſeruire temporibus, verſare naturam, & tegere, Nec non teipſum huc & illuc torquere, & flectere: Cum triſtibus ſeuerè, cum remiſſis iucunde, cum ſenibus grauiter, cum iuuenibus comiter, cum facinoroſis audacter, cum libidinoſis luxurioſè viuere: quod niſi feceris, nec magnus in Curia, nec diuturnus eſſe poteris.

Sed replicabis mihi fortaſſe, illũ ipſum Platonem, quem fugiſſe Curiam, ſuperius ſcripſi, poſterius tamẽ ad Dionyſium, Siciliæ Tyrannum, perueniſſe, illiq; ſeruiſſe. Sic eſt, vt ais. Sed vide, quid obtigerit.

Nanque

Nanque vocatus ab illo, per doctrinę speciem, cùm Tyranni vicia corripuisset, Tyranni fraude venundatus est.

Nec is solus ex sapientibus iram Principis expertus est. Nam & Zenonem Philosophum, senem admodum, Phalaris Tyrannus omni cruciatus genere dilacerauit. Anaxagoras nobilis Philosophus, ab Anacreunte, Cypriorum Rege, occisus est. Boëtius iussu Theodorici Regis interijt. Longa mora esset, si, quos viros bonos necari Principes iusserint, enumerare voluerim.

Nec mihi quispiam vel Moysen, vel Helyseum, vel aliũ quempiam Philosophorum commemorauerit; quasi & sibi liceat, quod viris diuinis permissum extitit. Nec enim cum Regibus illi manserũt, sed functi legatione, quam Deus eis mandauerat, abierunt. Solus Ioseph apud Pharaonem moratus est, quem ordinatio diuina, pro salute populi, illuc trãsmiserat, & venundatio fraterna. Fatebor & Mauricium, & Martinum militâsse, ac Principibus seruiuisse; sed ille quamprimum Christianus cognitus est, cum tota mox legione Thebea truncatus est capite: Hic vt vir factus est, & regia castra dimisit, & in obsequium

ſequium Dei ſe ſequeſtrauit. Sciebat enim vir ſanctus, quia pupillorum & viduarum cauſſa ad Principes nō egrediuntur. Quia nunquā apud Reges cauſſa pauperum defenditur; quia venalis eſt omnis Iuſticia; quia impudicus eſt omnis ſermo, quia nulla miſericordia, nullus Religionis Zelus, nulla caritas, ſed inuidia & ambitio tantummodo dominatur. Quibus obſiſtere, fortiſſimi fuerit, & plus diuina quam humana ſapientia.

Et quamuis eſſet Martinus ipſe ſanctiſſimus, poſſetque ſua virtute ſuperare maliciam; amplius tamen militiam nec per ſe voluit ſequi, nec alijs imitandam ſuo exemplo demonſtrare.

Nec Saluator noſter CHRISTVS, interrogatus quid faciendū eſſet, ad vitam conſequēdam, vade dixit, & Regibus ſeruito: Sed vade, inquit, & vende omnia, quę habes, & ſequere me: non Principem, non Regem, ſed me; non Curiam, ſed me inquam ſequere.

Videas igitur tibi, vir bone, qui propter Animā ſequeris Curiam, ne propter Curiam illam perdas: quia multi ſunt ibi laquei, multa offendicula, multę inſidię Dęmonum. Durū eſt ambitionem frenare, auari-

auariciam compeſcere, inuidiam domare, iram cohibere, luxuriam coartare, dũ ſemper inter iſta verſeris.

Si quis tamen à Deo ſibi creditum talentum nouit, vincere vt iſta poſſit; & tanquam Sol immaculatus in luto verſari; Si poteſt picem tangere, & ab ea non inquinari; Si poteſt ignẽ ingredi & non vri: non illum Curiam ſequi prohibeo. Nam meritum tanto grandius aſſequetur, quanto periculoſius militauit. Sed perſuaſum eſt mihi, neminem eſſe, qui Curiæ ſeruiendo non potius vincatur à vicijs, quàm vicia vincat. Dociles imitandis, vt Iuuenalis verba recenſeam, turpibus ac prauis omnes ſumus.

In Geneſi quoque diuinum Oraculum eſt in hunc modum: *Senſus & cogitatio humani Cordis, in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Non ſuaſerim igitur vlli in Curijs immorandum. Nam & Anima, vt dixi, diſcrimini magno ſupponitur, & vita ſæpe ante tempus amittitur. Quoniam vel Principum deſiderio fauebis, ac vltro ſuis vicijs arridebis; & animam perdidiſti: vel increpabis malos mores, accuſabisq; ſcelera; & inde iram Principis experieris. *Gen. cap. 8.*

Cyrus, Persarum Rex, Arpalo familiari suo, admodum ante caro, ob reprehensum in se vicium, filios epulandos in conuiuio dedit. Cambyses eiusdem ex carissimis, qui se de ebrietate corripuerat, filiũ sagitta transfixit. Nec tu mihi Aristotelem obijcias, summum Philosophum, Alexandri Magni castra sequentem. Nescis enim qua voluptate hoc egerit, & an sibi libertas fuerit aliter faciendi.

At secuti sunt Alexandrum complures alij: Calisthenes Philosophus, Clitus frater collectaneus, Lysimachus miles, & Philosophus insignis. Calisthenes dum adorari more Persico Alexandrum prohibet, truncatis manibus & pedibus, effossis oculis, & auribus amputatis, miserã vitam in carcere ducere cogebatur. Cui cùm Lysimachus, in remedium ærumnarum, venenum obtulisset, Leoni obiectus est. Clito, cùm Alexandrum, Philippi patris laudibus detrahentem, redarguisset, ab eodem, vt supra retuli, in conuiuio est occisus.

Sunt igitur stulti, meo iudicio; &, vt arbitror, tuo Iohannes amantissime, & qui propter superiores caussas, & qui propter Animæ lucrum, seruitia Principum ample-

amplectuntur. Quoniam, vel quod quærunt, non inueniunt; vel per viam spinosam & ancipitem pergunt; Cùm ad finem, quem cupiunt, tutissimis possint, & quietissimis itineribus proficisci.

Esset ergo iam satisfactum his, quæ ab initio proposuimus; possemque iam Epistolam claudere; sed sunt adhuc aliæ quàplures molestiæ Curialium, de quibus nõ erit ab re, quam breuiter meminisse.

Reliquæ Aulicorum molestiæ.

Inter dormiendum.

PLurima inter DORMIENDVM sunt tædia. Sæpe in asseribus dormiendum est; in paleis; in lapidibus, nudoque solo; in vento, in pluuia, in frigoribus. Si plumas fueris assecutus, ad Pediculos, Pulices, Culices, & alias infinitas vel mordentes, vel teterrimè fœtentes bestiolas te præpara. Nunquam solus dormies, nisi cùm socium cuperes. Linteamina immunda, fœtida, lacerata, & quibus nuperrime pestilentia sunt mortui, tibi dabuntur.

Comes adiungetur scabiosus, qui se tota nocte fricabit. Alius tussitabit, alius fœtido flatu te perurgebit. Interdum & leprosus tibi coniacebit. Alius frigidus est, & vestimenta ad se rapit; Alius Febre cali-

dus, & lodicem cum omni tegmento ſupra te iacit. Semper vel ille tibi moleſtus erit, vel tu illi videberis tædioſus.

Dormitur frequenter in cõmuni, vbi vel x. vel xx. ſunt, vbi vnus ſtertit, alter pedit; alius calceos iactitat: nunquam ante medium noctis eſt ſilentium. Veniunt Ebrij dormitum, confabulantur, garriunt, raptant, rixantur, pugnant, & ſe inuicem cædunt: Surgunt mingentes. Sæpe apud ſtabula ſunt cubicula tua, & equos fremitantes, vel ſe mordentes audis. Nunquam ſcies, vbi iacere debeas, niſi Domini dormitum iuerint.

Sunt in diuerſorijs multi Aduenę, multi ignoti; & vita Curialium plærunque in hoſpitijs publicis ſtatuitur: vbi continuo fures timendi, vel formidandi ſicarij ſunt: neq; res tuas vnquam tam diligenter cuſtodies, quin aliquid detractum reperias: Nam & ipſi fures in thalamo tuo dormient, & te ſopito aſſurgent, resque tuas ſub te quoque iacentes eripient.

Aſſunt Meretrices, Ancillæ, Lenones, Ioculatores, Luſores, Paraſiti, qui iurgia continuo proludunt: tantusque clamor exoritur, vt nedum dormire, ſed nec qui prope te eſt loquentem ſocium intellige-

re queas. Adde loquacitatem eorum, qui nocte, quam longa est, nunquam quiescunt.

Absentem cantat amicam, vt Flaccus ait, *Multa prolutus vappa Nauta atq; viator.* *Horatius lib. 1. Ser, Sat. 5.*

Nulla dormienti quies datur. Quod si vnquã rumores, & alia mala, somnus vinceret, ac oculos claudere cœperis; è vestigio reuocaberis, & aliquo casu surgere compelleris. Credo te ista millies expertum, ideoque sum breuior.

Sed alia accipe, quæ inter HOSPITANdum sunt tędia. Mareschallus orandus est, ac precio conducendus; rogandique serui eius, & alliciendi muneribus, vt hospitium tibi tolerabile præbeant. Quod si promiserint, non tamen implebunt: teq; vel in remotissimis locis, vel in fœtidissimis Ganeis collocabunt. Interdum & honestum locum, quem dedit, vt deseras, & alteri cedas, minis & vi coget. *Molestiæ hospitiorum.*

Sed esset tolerabile fortasse, Mareschallo caput inflectere, cuius est officium non inhonestum; at sordidos homines sequi, atque his supplicare, & offerre pecuniam, grauissimum est. Nec tamen hoc potes effugere. Nam & Coquis, & Pistoribus, & Frumentarijs, & bladi viniq; distributo-

 ribus,

ribus, humiliare te conuenit, & ipsorum beneuolentiam emere.

Quid Ostiarium referam? Heu quoties ille vlnas in pectus detrudet tuum? quoties te pugno, vel calce repellet? quoties, vbi te viderit venientem, portam, quę patebat, statim concludet? Quoties te excluso, quamuis aurum dederis, vel Mimum, vel Scurram, vel Æmulum tuum intromittet? Quoties tibi vel dormire Principem, vel in consilio esse, vel ægrotare mentitur.

Molestiæ expeditionum & itinerum.

Quid de MOTV CASTRORVM dicam? Quis tormēta, quæ nunc incidunt, possit enumerare? Quanta equorum est cura, quanta armorum? Quot vrgent angustię? Transeunda sunt alta flumina, pontes ancipites ascendendi. Equitandum in Tenebris, in Pluuia, in Vento, in Niuibus, in Luto, in Glacie, in Fluminibus, in Spinis, in Nemoribus, in Saxis, in Præcipitijs, in abruptis collium; Inter Latrones, inter Hostes.

Nunquam certus est Principis recessus. Fama nonnunquam vagatur, in crastinum esse castra remouenda: cumq; accinctus es viæ, mutatur opinio. Quod si fortè imparatus fueris, repente fiet recessus;

ſus; ibitque cum paucis, & ſequi pone feſtinanter omnes iubebit, idque tunc potiſſimè, cùm vel ægrotabis, vel medicinam ſumſeris, vel ſanguinem diminueris, aut equi, aut famuli tui, minus diſpoſiti fuerint.

Si quis & ſtandi, vel recedendi certitudinem habere voluerit, ex cauponibus, vel meretricibus melius inſtruetur, quàm ex alijs. Nunquam quo ſit eundum ſcies, niſi poſtquam perueneris. Creditur ſumma luce Rex abiturus, tuncque omnes in Equis expectant, & ad meridiem vſque, tam Muli, quàm Equi, & Currus, onerati manent, ſæpeque onera, tanquam decepti, deponunt.

Cùm verò iter arreptum eſt, in his locis potiſſimè mãſio fit, vbi nec vina ſunt, nec cibaria, nec, in quibus recipi queas, diuerſoria. Vbi vero vbertim omnia ſuppetũt, nunquam poſt biduum caſtra manebunt. Eſt enim Regibus tædium, quoties multitudinem lætam audiunt. Contra verò ex anguſtijs afflictioneq; Plebis, ſolatia ſuſcipiunt. Ideo nonnunquã mille paſſus proficiſcuntur: Interdum quinquaginta millia paſſuum obambulabunt. Gaudebuntque cum te, vel familiarem perdidiſſe, vel

 equum,

equum, accipient: vel cum te præcipitatum in flumina, vel frigore obriguisse, vel æstu defecisse cognouerint: cum ipsi & contra frigus, & contra calorem armati exierint.

In Castrorum præterea processu quot pressuræ sunt? quot calces? quot trusiones? quot casus? quot irrisiones? quot blasphemiæ? Nunc tuus Equus alium cædit, & in te culpa refertur: nunc tuus læditur, & afficieris damno. Litigant inuicem famuli, & in bellum descendunt Domini.

Interdum seruare ordinem oportet: nusquam cedere loco licet. Festinandum est, cùm alij festinant, tardandumq́; cum alij tardant. Nec prope te erit, quem velis amicum, nec ad eum, vbi sit, poteris ire. Si quo casu cecideris, nemo te colliget, sed vniuerso exercitu calcaberis, & tam tu, quam equus, in puluerem redigeris.

Nunc in locis Palustribus, & in luto castra ponuntur; nunc in arena, locoq́; sterili; ex quo nec lignatum, nec aquatum, absq; magno discrimine progredi queas. Tunc aut Æstas erit, & caloribus exureris, Cicadis obtũderis, Culicibus morderis, Serpentibus intoxicaberis, fœtoribus

ribus atque exhalationibus pessimis cruciaberis: Aut est Hyems, & tecto atq; vestibus nudus peribis. Quod si tu forsan euaseris, famuli tamen & equi superesse non poterunt.

Adde, cum prope sunt hostes, maiores molestias: Nunc vitandos lapides, nunc sagittas timendas, nunc fures formidandos, nunc latrones. Nunc insultus est faciendus in hostes; Nunc cauendum est, ne hostes ipsi officiant insultantes. In armis edendum est, in armis dormiendum: Semper in vallo Castrorum, in portis, excubiæ sunt habendæ. Nunquam hora quieta est, nunquam in pace manere licet, nunquam tubæ, nunquam cornua tacent, nunquam insidiæ cessant.

Quoties itur ad muros, vel cũ duo concurrunt Exercitus, quanta trepidatio est? quot clamores? Nunc eriguntur machinæ, nunc feruntur tribuli, concurrunt iacula, fodiuntur missilibus scuta; coruscant enses: sub illo equus occiditur, hic fossus telo, ruinam minatur. Illi caput aufertur, huic manus amputatur, quidam calcantur inter equos, quidam in foueis iacent exangues: mille facies mortis vbique videntur. Non hîc misericordia est, non beni-

benignitas, non humanitas. Sed ille vir bonus, ille miles egregius, ille fortissimus creditur Imperator, qui plures sua manu necauit, quiq; cruentum gladium ex plurium virorum iugulis eduxit.

Sunt Equestres pugnæ, sunt Pedestres, sunt Nauales, sunt Murales, vbique res sunt horrendæ; & facies inferni similes: Nihil ibi lucrari absque iniuria proximi potes; Nec tua sunt, quæ bellis quæruntur iniustis, vt fere sunt omnia bella, quæ inter domesticos fidei cõmittuntur. Perdere autem illic nedum res, sed vitam & animam potes. Nec tu te vitare posse bellum confidas, in quo tuus Rex interfuerit. Nemo se mare vitaturum speret, cùm Rex nauigauerit. Aut comitandus Rex est, aut amittendus, inter tot, tantásque difficultates. Aut Iuuenis es, & sufferre insolitas res non potes; aut antiquus, & deficientibus viribus nec inediam, nec sitim, nec laborem sustinere vales.

Morborum molestia. Prætereo Morbos, qui, dum sic angimur, nos aggrediuntur: quibus coacti vel in via deserimur: vel inter ignotos plærunque diem claudunt, qui domi manentes, per multos annos viuere potuissent.

Sed

Sed redeamus iam in Vrbes: ſimus in amplo, ſpacioſoq; loco: quieſcat Curia; deerúntne propterea cruciatus? An non fient indies noua edicta, & conſtitutiones nouæ? quibus vt te coaptes, ſingulis diebus de nouo incipies viuere. Siue Rex ſedeat, ſiue ſtet, tibi tamen ſemper erit ſtandum, nec vllam tuis tibijs poteris dare quietem: ſiq; nonnunquam ſedes, temerarius indicaberis.

Moleſtia Aula etiam quieta.

Quid vero in STIPENDIIS exigendis? quanta moroſitas, quantaque diminutio eſt? Nunquã in tempore datur, nunquam integrum; nunc ad iſtum, nunc ad illum remitteris, diuerſiſque mendacijs eludêris. Multa ſunt, propter quæ Magnifico Caſpari Cancellario teneor, ſed in hoc quoq; ſuæ magnificentiæ ſum obnoxius, quia me non patitur ſalario meo fruſtrari, ſicut alios video, qui ſuum gemunt fraudari ſalarium. Nunquam ſtipendia recipiunt, niſi diſtributorem donauerint. Nec vllus eſt, qui tam clara conuentionis ſuę capitula faciat, vt ad voluntatem Officialium non recipiant interpretationem, qui ſunt omnis auri corraſores.

Stipendia ſoluẽdi moroſitas.

Sed iam de NECESSARIIS aliquid dicamus, qui & ipſi Curialium tormẽta exaugent,

Amici & neceſſarÿ moleſti Aulicis.

ſugent. nunc hoc, nunc illud impetrari ſibi petentes: Et ſiue durum ſit, ſiue abſurdum, quod optant, tamē impetrare te volunt. Quidam potentes ſunt, qui ex gratia Principis promouere Propinquos poſſent, ſed tales ſunt eius conſanguinei, vt vel eis benefacere non audeat, vel, ſi audeat, infamiam populi, & indignationem ſupra ſe Dei ſuſtineat.

Quid? quod amorem in ſe Principis nemo verum aſſequitur? Namque, vt Iſocrates in eo quem de regno ſcripſit libro teſtatur, Principes neminem, niſi inconſulto quodam impetu diligunt: Quod ſi quem amant, nō vt amicum diligunt: Inter pares enim amicitia verſatur: ſed eo modo amant, quo & Canes, & Equos diligunt, fructū vt exinde ſuſcipiant. Quid dixi? erraui. Certe multo plus equus, aut canis, quam homo, diligitur. Mortuo quippe viro, mox vir alius adeſt, qui locū defuncti magnis precibus ſibi dimitti poſtulat. At Canis, vel Equi mortui vicem non ſupplebit alius, niſi vel emtus precio, vel gratia.

Amor Principum in Aulicos.

Parum adhuc dixi: cum nedum non dolenda, ſed optanda mors tua Principi ſit, qui diutius ſeruiſti. Aut enim pro lon-

gis

gis obſequijs non te remunerauit, & ſoluitur obligatio morte tua, dulceque ſuo ex ore ſonabit: *Ah, ſi mortuus non fuiſſet homo ille, magnis eum muneribus donaſſem.* Aut largitus eſt tibi plurima, quæ te mortuo recuperare ſe ſperat. Vix enim hodie diues aliquis moritur cui Principes non ſuccedant.

Sed audi iam, quot imminent tibi moleſtiæ propter perſonam Principis. Raro nedum inter Principes, ſed inter Priuatos quoque vir bonus reperitur. Cicero in diuinationum libris, Si quæ rariſſimè fiunt monſtra putanda ſunt, inquit, magis monſtrum erit vir bonus, quam partus mulæ. Aſtipulatur huic ſententiæ Iuuenalis, qui licet prius dixiſſet, *Moleſtia à perſona Principis.*

Rari quippe boni, numero vix ſunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel diuitis oſtia Nili. *Iuuenal. Sat. 13.*

Poſtea tamen, quaſi ſeptem reperiri non poſſent, amplius ſe reſtrinxit, dicens:

Egregium, ſanctumq́; virum ſi cerno, bimembri
Vt monſtrum puero, & miranti ſub aratro
Piſcibus inuentis, & fœtæ comparo Mulæ.

Nec diuina ſcriptura remiſſior eſt: Siquidem apud Paulum Prophetę verba relata ſunt: Eſt autem Deus verax, omnis *Rom. 3.*

homo

homo mendax. Et iterum ſcriptum eſt; quia non iuſtus quiſquam, non eſt intelligens, non eſt requirens Deum. Ac rurſus: *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Vides vt Oratores, ac Poëtæ cum ſacra ſcriptura concordant. Vidéſne, vt rari boni, mali vero infiniti ſunt?

Pſal.14. 53.

Si ergo Rex tuus malus fuerit, dolebis eius infamiam, eiusque vicijs cruciaberis. Si Auarus eſt, angeris, quia nec te præmiat, nec alios bene meritos; & quia plurima negligit, ne ſumtum faciat: Si Liberalior eſt, times, ne profuſione nimia obliniet ærarium: Si Crudelis, vereris, ne in te tuóſque ſæuiat: Si Pius, ægrè fers, quia non vlciſcitur iniurias: Si Audax, pericula reformidas; Si Vecors, hoſtibus inuides, qui ſibi ſemper inſultant: Si loquax, multiloquium eſſe non abſque peccato cognoſces: Si Tacitus, dicis, quia nec Amicos, nec ſeruitores verbis ſcit retinere: Si Vinolentus, accuſas ebrietatem: Si Vino non vtitur, quia parum ſit lætus grauaris: Si Luxuriæ Cultor eſt, doles, quia plurimis iniuriatur: Si Fœminas fugit, dicis, non eſſe virum: Si paucos ad ſe admittit, diſplicet tibi, inter illos non eſſe: Si com-

communis eſt omnibus, iraſceris, quod tam reliquis, quàm tibi ſit familiaris: Si omni ex parte bonus eſt, quod monſtrum fuerit, cum tu ſis malus, doles, quia tuis vicijs non alludit: Aut ſi tu quoque ſis bonus, quemadmodum eſt difficile, dolebis Principi bono non arridere Fortunam, ſemperque anxius eris ſuo ſtatui: Ægrotabis cum eo: quoniam non tam filio ſuo pater afficitur, quàm bono Principi bonus ſeruus: Cui etſi fortuna fauerit, nunc mutationem, nunc inſidias times, nec dormies vnquam, nec vigilabis in pace.

Aulici nihil meditari, nihil legere aut ſcribere poſſunt.

Eſt inſuper magna virorum recreatio MENTIS SECESSVS: Cum ſe aliquis retrahit in ſolitarium locum, ac vel meditatur, vel legit, vel ſcribit: totumque ſe Muſis præbet. Et nunc Platonem, nunc Ariſtotelem, nunc Tullium, nunc Virgilium, nunc alios Doctores, iam dudum mortuos, ſed fama viuentes & ſcriptis, alloquitur. Sed hac voluptate priuati ſunt Curiales, qui ſemper in negocio ſunt, in clamoribus, in tumultibus. Si tibi nonnunquã particulam Menſæ delegeris, in qua vel legas aliquid, vel ſcribas; mox aliquis inſtabit, qui te vexet:

xet. Et si alij cessauerint, non aberit Dispensator, qui prope te computum faciat, æraque moueat, nusquam tibi angulus patebit quietus, in quo possis cum Scipione dicere: *Nunquam minus solus, quàm cùm solus.* Oportet te Priscis illis sanctiq; viris carere, atque inter homines viuere, quos rectius Bestias, omni virtute carentes, appellaueris.

Aula adolescẽtes corrumpit.

Sunt qui dicunt, se filios suos idcircò Principibus dare, vt MORES ediscant, fiantque virtute præstantes: Melius dicerent ad intelligendam maliciam, turpitudinemque discendam se filios transmisisse. Sunt enim in Curijs viciosissimi Iuuenes, sermones inhonesti. Ille luxuriam cõmendat, ille voracitatem: Nemo de virtute se iactat, sed aut virginẽ violasse, aut stuprasse nuptam, aut emulum occidisse, aut rapinà se aliquid nactum gloriabitur: quæ scelera sic adolescentes imitantur atque imbibunt, vt nunquam postea dimittant. Nec te putes adolescentẽ pudicum, sobrium, verecundum, & bene morigeratum, apud Principes inuenire: Omnes huiusmodi sunt, quales magistri. Verum est enim, quod Terentius ait: Ad peiorẽ plærunque partem animum applicari, si quis ad eam

ad eam rem Magistrum sortitus sit improbum. Sic Natura iubet; velocius & citius eos corrumpunt exempla mala, cùm animum magnis autoribus subeunt.

Refero maximas Deo grates, qui mihi iam viro sequendi Principes animum tradidit, cùm iam à parentibus virtutes aliquas sic acceperam, vt amplius amittere non possem Quod si aliud nō est, hoc saltem habeo, quia nonnullas didici litteras, quarum essem omnino ignarus, si puericiam meam Curia suscepisset.

Est enim in Curijs Principum viciosum, litteras nosse, & probri loco ducitur disertus. Est itaque magna litteratorum molestia, cùm se contemni per omnia viderint, & res maximas ab istis dirigi, ne dicam ego negligi, qui vix inter manus & pedes quot habent digitos norunt. Sed est etiam illiteratis sua turbatio, cùm viros in curiam doctos, ac Latinè loquentes venisse vident, quos ipsi nequeunt intelligere. *Litteratorum in Aula contemptus.*

Quid præterea de CONSCIENTIA tua dicam, quæ semper inquieta est, semperque te mordet, cùm tu te scias, multis viciorum illecebris inquinatum. Nullum *Aula conscientiam vulnerat.*

grauius suppliciũ, vt Seneca scribit, quàm Conscientia. Hinc Iuuenalis:

Iuuenal. Sat. 13.

----cur tamen hos tu
Euasisse putas, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem vehemens, ac multo sæuior illis,
Quas & Cæditius grauis inuenit, & Rhadamãtus,
Nocte dieq́ suum gestare in pectore testem.

Sed audi obsecro Ciceronem, pro Sexto Roscio, cuius hæc, si bene memini, verba sunt: Sua quenque fraus, & suus terror maximè vexat; suum quenque scelus agitat, amentiaque afficit, malæ cogitationes conscientiæque animi terrent. Hæ sunt Impijs assiduæ domesticæque Furiæ, quæ dies noctésque pœnas parentum, à consceleratissimis filijs repetant. Quaque te vertis, oblocutiones de Rege, de Consiliarijs, de te ipso fiunt, cùm vel nimis subditi grauantur, vel hostes instãt, dum Curia in CHOREIS est, aut in VENATIONIBVS occupata.

Nullum inter res mundanas maius munus est hominibus à Deo concessum, vt Cicero dicit, quàm AMICITIA. At hoc bono, tam suaui, tam vtili, tam necessario,

rio, priuati sunt Curiales. Nanque viciosissimi ferè cùm sint omnes, non Amicitia inter eos esse, sed factio quædam, & conspiratiò potest. Inueniuntur nonnulli industrij ac laboriosi Curiales; at in his adumbrata, nõ expressa, sunt signa virtutum. Videntur quidam liberales, sed rapinam sequuntur. Si sunt casti, ambitiosos inuenies eos, atque superbos. Si humiles, Ebrij sunt, & Nebulones. In nullo virtus est aliqua, quam mille vitia non comitentur. Arduum est, in hac hominum colluuie, virum amicitia dignum reperire. Quod si quis inuentus fuerit bonus, vel Regi non placebit, vel Magnatibus, nec eius vti beneuolentia poteris: quia non licet in Curijs habere commercium inter illos, qui non sunt accepti: Videbísque nonnunquam illos, quos diligis, & qui tibi sanguine sunt coniuncti, ad supplicium rapi. Et quamuis difficile sit tacere, cùm doleas; tamen nec conqueri poteris, neque hiscere: Sæpeque cum illo conuersari cogeris, qui tibi vel patrem, vel matrem occiderit.

Si eius conditionis fueris, vt FAMVLATVM possis tenere; inueneris Seruitores tuos Ebrios, Gulosos, Rixosósque, Inso-

lentes, Immemores, Negligentes, Inertes, Adulteros, Homicidas. Si rursus tu alteri famuleris, dominum auarum, Querulosum, Inuidum, Temulentum, Loquacem reperies.

Discurre per *omnes Curiæ status*; quam contemti CONSILIARII sint, suisque consilijs non acquiescere Principes. Quid aiunt CANCELLARII, cùm eorum litteræ ad honorem Regis & vtilitatem scriptæ, transire non possunt, nisi corruptæ, & ex bono in malum mutatæ? Quid MAGISTRI CVRIÆ, & MARESCHALLI, dum obedientiam non inueniunt? Quid MAGISTRI CAMERÆ, dum eorū computa corripiuntur? Quid CAPELLANI, dum in celebratione diuinorum officiorum suspenduntur? Quid MEDICI, dum negligi sana, & nociua recipi cernunt? Quid MILITES? Quid CVBICVLARII? Quid TVBICINES? dum stipendia sibi negantur? Quid COQVI, qui nihil parare sine reprehensione possunt? Nullus est, cui non sint infinitæ molestiæ. Atque, vt breuiter dicam; per multas tribulationes intrant Iusti in gloriam DEI: *Curiales vero cum multis cruciatibus acquirere sibi Gehennam student.*

Nihil

Nihil de Clericis & Religiosis dixerim, qui cum Ioseph Pallium, cum Matthæo Telonium, cum Iohanne Sindonem, & cum Samaritana cupiditatis ydriam, iussi sunt relinquere. Taceo & illos, qui necessario & inuiti sequuntur Curiam. Nam, vt Cicero pro Sexto Roscio dicit; Quod ego inuitus & necessariò facio, nec diu, nec diligenter facere possum.

CRedo iam me promissioni meæ satisfecisse; quia stultos esse, me probaturum dixi, Omnes, qui aliam vitam habentes, in qua possint se honestè traducere, Curiarum molestias sequuntur. Quod cum ita sit, relinquamus hoc PELAGVS INQVIETVM, nósque in aliam vitam redigamus. Namque si pacem cupimus, si ocium diligimus, si nobis viuere volumus, si Salutem animæ quærimus; fugienda sunt nobis atria Regum, & aulici tumultus: in quibus nec requies, nec bonarum artium exercitatio, nec virtutis amor aliquis regnat; sed Auaricia tantum, Libido, Crudelitas, Crapula, Inuidia, & Ambitio dominatur. Quibus vicijs qui sit deditus, nullo se poterit argumento tueri, quin apud viros doctos, & malus

esse conuincatur, & stultus. Vale, vir, nisi ex Curialibus vnus esses, meo iudicio prudens. Ex Pruck, Pridie Calend. Febr. Anno Salutis, 1445.



NOBILI ET STRENVO BERNHARDO HVTTENO, IN Franckenbergk: Eq. Fr. S. D.



VM iam dudum agnati tui Vlrici Hutteni Aula Dialogus desideraretur, me nobiles quidam & docti viri amanter cohortati sunt, vt Aeneæ Syluij libello de Curialium miserijs adiungerem illam, & cum studiosis diuulgando communicarem.

Quamobrem cum hoc nomine superioribus temporibus nobilem & summæ spei fratrem tuum, Georgium Ludouicum Huttenum compellarem, & certis de causis vestro sine consensu me nihil huiusfacturum ostenderem, propositum ille meum non modo probauit, sed vti pergerem, atque editionem maturarem fuit hortator. Vobis enim agnati vestri memoriam cum primis esse gratam, & pertinere ad familiæ nominisq́ve-

stri bonam existimationem, virtutem illius, meritaq́ue in patriam, immortali posteritatis celebrari memoria.

Cùm igitur aliquid hic præfari visum esset, ad te, sapientia & humanitate præstantem, scribere occasione hac, & nominis Hutteniani studiosum animum meum declarare volui. Neque enim dubito, libenter hæc te pellecturum esse, tum quia agnati tui nomine famaq́ue delectaris, vti par est, tum quia litteras humaniores amas, & magnifacis. Argumentum etiam hoc tibi, crebro vitæ humanæ vicissitudines memoria repetenti, acceptum fore putaui.

Etenim cùm in mundo semper eadem agatur Fabula, personis tantum mutatis, quid iucundius vtiliúsve esse rear, quam aliorum periculo impunè sapere, continuaq́ue in rerum humanarum varietate casus alienos sine dolore intueri. At verò cum illorum præcipuè vita, qui Reip. præsunt, variabilis fortunæ telis proposita sit, quantam sæpe habent ancipites horum mutationes expectationem, spem, timorem? Quoties inanes

Auli-

Aulicorum cõtentiones in medio quasi cursu corruere, & ex læticia ad luctum subito, non sine varia animorum affectione, relabi videmus?

Quæ cùm Agnatus tuus eleganter hoc in Dialogo persequatur, tibi, cæterisq; viris eruditis gratam eius fore lectionem non dubito. Neque inesse hîc video, quod malam in partem accipere merito quis possit, cùm & nullius hîc nominatim vitia moresúe reprehendantur, & iamdudum, qui illis temporibus, cùm hæc scriberentur, magistratum gerebant, vita sint defuncti.

Eam autẽ esse vitæ Aulicæ conditionem, quam libellus hic nobis ante oculos proponit, nescio an quisquam sanus inficiari possit. Nam cùm is hominum sit captus, vt imperio prosperisq; rebus plerunq; immutentur, fastigioq; ferè & superbia efferantur; fit sæpe, vt illi etiam, qui commodis antea fuerunt moribus, corrumpantur, & aut ambitione atq; honorum certamine ad res iniustas impellantur, aut corruptela prauæ consuetudinis in peccandi illecebras, tanquam

in opertos scopulos ablati, vitæ ac fortunarum suarum faciant naufragia.

At quoties nulla neq; sapientia neq; prudentia instructos Phaetontes Aulæ sese obtrudere, atque ad Rempub. gerendam nudos plane accedere videmus. His vero potestate elatis, quid intolerabilius esse poßit?

De nationis ac ætatis nostræ Aulis exempla (quæ & odiosa fortasse forent) sumere nõ est opus, cum exemplorum satis veterum sit in promtu. Etenim in Aulis priscis ac remotioribus (in quas tuta, opinor, est reprehensio) quotum quenque legentes historias reperimus, qui Reip. magis, quàm suis voluptatibus inseruierit?

Ecce enim, cùm spacia præteritorum temporũ longius respicimus, & vel Assyriorum, vel Aegyptiorum, vel Persarum denique Reges, Græcorúmve aut cæterorum populorum in terrarum orbe Principes, horumq; Satellites, ordine percensemus, moresq; & vitas singulorum nobiscum in animo consideramus; quanta nobis perditißimorum ibi hominum, imo non hominũ, sed beluarum

turba

turba ante oculos versatur? quoties immanes cernimus parricidas, adulteros, ac tetra voluptatum mancipia rem gerere; bonis Principibus, & Consiliarÿs, à gubernaculis deiectis?

De populo Dei quid dicam, cùm (sacrarum litterarũ testimonio) in Iuda & Israël vix decem bonos, sed paulo plures quàm triginta malos Reges fuisse constet? Imo Ecclesiasticus, præter Dauidem, Ezechiã, & Iosiam, omnes peccâsse, Legem altißimi reliquisse, timorem Dei contemsisse ait.

At bonorum etiam illorũ bonitas qualis fuerit, vel vnius Dauidis vita nos doceat. Ille enim in Aulam è caula vocatus, & honore atque imperio amplificatus, tenere moderationem haud potuit, sed tandem voluptatum illecebris interceptus, atque in adulterÿ turpitudinem dilapsus, dirumq; homicidÿ facinus aggressus, tum Ecclesiam Dei, tum populos externos vehementer offendit, ac pœnas atroces cum sibi, tum totè regno accersiuit.

Hinc filios & ministros eiusdem respicientes,

tes, quam Aulicorum imaginem propositam nobis cernimus? Cum sorore sua Thamar stuprum facit Ammon. Ingenuas Aulæ matronas, & tantum non matres suas, nefaria libidine contaminat Absalon; horrendamque contra parentem mouendo seditionem, ac multis tandem ciuium millibus extinctis, vitam ipse suspendio finiens confoditur. Periurus Achithophel, Aulicorum haud postremus, vbi cruenta in Regem suum consilia non ex animi sententia succedere videt, violentas ipse sibi manus infert perfidus, suspendioq́ue perit.

Quapropter si Aula Dauidis etiam animum, ineunte ab ætate labore exercitum, patientiaq́ue & animi & corporis probe subactum, vsque adeo labefactauit, & delicijs suis tam sanctum intercepit, neque ille, tanta sapientia præditus, fraudes Aulicorum vitando cauere potuit; quantopere alijs vigilandum fuerit, vt eas virtutes sibi comparent, quibus vitam suam inter Curialium irritamenta tueri poßint?

Vnus fermè Iosephus, Iacobi filius, mirabiliter

biliter in Aulam Regis Aegyptij detrusus, vera fide & virtute præditus, moderationē in rebus aduersis & secundis tenere potuit. Proinde post tetros carceris squalores fortiter extantlatos, emersit tandem, ac non modo Pharaonis sui opes auxit, totiq; regno fuit præsidio & dignitati; sed & Ecclesiam Dei, propinquos suos, diuturnæ annonæ penuria pressos, summa pietate seruauit; ac, teste Ecclesiastico, in Principem Rectoremq; fratrū, firmamentum gentis, stabilimentum populi euasit. Et huc sanè referre liceat Mosen, Abdiam, Danielem, Mardochæum; qui varia Maris Aulici fortuna prudenter superata, præstantiam virtutis, ingenij, dignitatis, in Aula consecuti sunt, ac multum Ecclesiæ Dei, Reiq; publ. profuerunt.

At Esaiam ætate prouectum non venerandi cani, non spectata pietas, non diuina vaticinationum autoritas, à crudeli Manaßis tyrannide defendere potuêre. Ieremias verò ab Aprye, seu Ophrea, Rege Aegyptio, interfectus est. Eâdem prope fortuna vsus Michæas, dum Regem Achab monet, ne bel-

ne bellum temerè moueat, Gnathonum Aulicorum impulsu in carcerem missus, pane tribulationis, & aqua angustiæ, maceratur. Iohannes Baptista in Aula Herodis recta dicendo faciendoq́ saltantis meretriculæ artificio, capite multatus est.

At Petrus, miles ille extra periculum fortis, in ipso mox Aulæ vestibulo, non Regum quidem minis, sed leui ancillulæ compellatione perterritus, abnegat, imo abiurat præsentem adhuc Christum generis humani Seruatorem.

Porro cùm Imperij Romani Cæsares intuemur, innumerabilia tum miseriarum, tum scelerum vndique comparent vestigia. Etsi enim nonnulli Romanorum Imperatorum Iusticia, prudentia, moderatione, pietate, clementia, mansuetudine, præstiterunt, (quales fuêre Iulius Cæsar, Octauius Augustus, Nerua, Traianus, Adrianus, Antonius Pius, M. Antonius Philosophus, Constantinus Magnus, Theodosius: Item Magnus ille Imperij Romani instaurator Carolus: Et quos antiqua Regum patria

Brun-

Brunsuigia dedit Henrici, Othones, Lotharius, ac nonnulli alij.) tamen & illi ipsi fuerunt in miseria, cum quod mali esse nollent, in occultas sæpe Aulicorum inciderint insidias. Ita nimirum Iulius Cæsar, tot populorum domitor, primusq; Imperij Romani cõditor, viginti tribus vulneribus in Curia confossus interijt. Quam Aulæ acerbitatem complures deinceps Imperatores experti sunt.

De ijs autem, qui nulla virtute, nulla humanitate præditi ad Imperij gubernacula sederunt, verba nunc facere nimis foret prolixum. Qualia enim fuêre portenta Tiberius, Caius Caligula, Claudius, Domitius Nero, Et exiguo interuallo hisce proximi Antoninus Bassianus Caracalla, Varius Heliogabalus, Iulianus Apostata, Phocas: & monstrum istud deniq; Bohemorum VVencestaus, quem, forma Thersiten, ingenio Neronem, inter cœnandũ etiam confixisse multos, ac per lusum sæpe iugulasse ministros suos Chronica narrant.

Cùm igitur ea reuera sit Aulicæ vitæ conditio

ditio, quam agnatus tuus Vlricus Huttenus sapienter hic & eleganter descripsit, & calumniator sit necesse est, qui hunc librum reprehendat, & per quam stultus, qui eo pellecto, ad Aulam sese tamen conferat, antequam probe sese ipse noscat, compertùm ve habeat, an eo sit animo, vt quicquid eueniat, moderatè ferre sciat.

Equidē hoc loco reticere nequeo, moderationē amici olim tui VALENTINI FVX, à Dornheim, in VVissentheith. Eq. Fr. qui cum propter rerum vsum, prudentiam, virtutem, tribus Imperatoribus, Carolo V. Ferdinando, & Maximiliano II. (vt ex aliquot clementissime scriptis ad eum Epistolis constat.) carus, & nōnullis Germaniæ Principibus admirationi esset, atque ideo splendidæ illi sæpe conditiones in Aulis offerrentur, tamen, cùm Iuuenis Curialium miserias degustasset, vt ætate prouectus Aulæ sese totum redderet, adduci non potuit. De quo forte cum anno superiori, cum prudēte longoq; vsu edocto Aulico Valentino Truchseß ab Hennenbergk, sermonem conferrem, multa

multa facũde ille de Curialium miserijs disserebat, subinde Senecæ illa; Iniurias accipere; gratias sæpe agere; *inculcans, copioseq́ illud suum demonstrans,*

Si Curiam curas, pariet tibi Curia curas.

Quam cantilenam canere sæpe memini & Aulæ Herbipolensis Prætorem Fridericum Adelbertum ab Hessenburgk; & parem huic generis nobilitate ac virtute Iohannem à Creilsheim, &c.

Sed hæc, vt alieniora verbosius hoc loco persequi necesse non est. Reprehendant sane doctißimorum illa virorũ opuscula qui volent; nobis sufficiat placere paucis, & bonorum obsequi studijs ac voluntati. Neq́ fore spero, vt bonis ea nunc placitura non sint, quæ tenebris antea situque oppressa, eruditi nobilesq́ viri toties requirebant. Vt enim alios nunc omittam, Nobilis & strenuus Andreas Voit à Rineck, in Vrsprungen, Eq. Fr. in quadam ad me rescripta Epistola, Aulam, inquit, Hutteni, vt mihi eius cognoscẽdæ copia data est, magna animi voluptate perlegi. Etenim & argumenti nouitate,

& facundia sermonis, & operis artificiosa οἰκονομία, perquam festiuus mihi visus est ille dialogus, quiq; egregiam ingenij Hutteniani vim, & differendi facultatem excellentem haud obscure redoleat: dignumq; arbitror, qui inter eruditos lusus cum primis haberi, & ab interitu vindicari debeat. Cuperem enim permultos de Francica nobilitate huius viri vestigijs insistere, virtute, eruditione, & industria immortale nomen ac decus parare.

Tu vero, nobilissime vir, dextre hæc omnia accipies, & pietatis humanitatisq; studia, more gẽtis tuæ, strenue defendes, & me, quoniam litteras amas, diliges. Vale. Data Basileæ Rauracorum, Anno M.D.LXXV.

Henricus Petreus
Herdesianus.

NOBI-

NOBILITATE GENERIS, ET VIRTVTE IMPRIMIS CLARO, Georgio Ludouico Hutteno, Equiti Franc.

S. P. D.

Henricus Petreus Herdesianus.

FOrte ego vt Ausonia vidi te nuper in vrbe,
Adria quam tumidis pulsat apertus aquis,
Conuictusq́; Huttene, aliquo tibi iunctus ab vsu,
Perspexi dotes, munera rara, tuas;
Ex illo nomenq́; tuum, linguæq́; disertæ
Verba, mihi toto corde recepta, colo.
Ante per Italidas Ioachimi sparserat vrbes
Musa, tuas laudes ingeniiq́; decus.
Nemo erat & patriis fama celebratior oris;
Nominis ampla tui Francia plena fuit.
Illa sed ingenii præconia debita summi,
Re tamen & studiis ipse minora facis.
Ergo tuæ generosa domus vt stemmata laudo,
Sic animi dotes nobilioris amo.
Nil cum Pieridum mihi contemtore superbo,
Cui rude, & ingenii pectus inane riget:
Qui temere sursumq́; trahit, miscetq́; deorsum
Omnia, res bello si qua gerenda venit:

Qui, quoties ratione opus, aut interprete linguâ,
Remq́ decet verbis consilioq́ geri,
Non asino plus mentis habet, licet omnia verbis
Compleat, & tumido fortius ore rudat.
Sæpe quidem solis armis, ferroq́ tremendo
Teutones egregium promeruêre decus.
Cunctaq́ principio subigebant, siue gerenda
Bella forent Terris aspera, siue Mari.
Sub niue durabant alacres, rapidoq́ sub æstu,
Nec graue ferre gelu, nec graue ferre notos.
Itala cædebant collatis agmina signis,
Arma fera soliti sumere aperta manu.
Sed tamen alma fides aberat, nec certa colebant
Numina, constaret cum tamen esse Deum.
Saxones armiferum Martem coluêre, Iouemq́,
Et Venus, & magno Luna in honore fuit.
Atq́ alios alij plures timuêre Tonantes,
Crodoq́ mentito numine magnus erat.
Omnia Mars potuit, ferrumq́ potentius æquo,
Victaq́ pugnaci Iura fuêre manu.
Ast vbi Germanis cessit victoribus artes
Roma, triumphato cessit & Imperio.
Barbara tunc animi feritas mollita per artes,
Siuit honoratis legibus esse locum.
Cœpit & insanis Ius esse potentius armis,
Et placuit pure sacra fidemq́ coli.
Magna Deo natoq́ Dei reuerentia Christo,
Magnus honor Musis ingenioq́ fuit.

Et me-

Et memor Imperij neruos consistere in illis,
Grandia mox statuit gens pia templa Deo;
Doctrinæq; rudes animos compescere frenis,
Tempus & in studijs ponere cura fuit.
Testis es, ingenio bellis & magne togaq;
Carole, Teutonici conditor Imperij.
Crescere vidisses vrbes, maioraq; condi
Mœnia, præruptis surgere castra iugis.
Magnaq; tunc studijs, maior Germania bello,
Maxima celesti relligione fuit.
Horruit Almanos occasus, & horruit ortus,
Ac timuit nostras vltimus orbis opes.
Felices, si Pieridas legesq; tueri,
Et proferre datas cura fuisset opes.
Sed cum nulla tibi victrix Germania belli,
Iusta triumphandi nec tibi caussa fuit.
Pax erat, ausa fuit tandem vinosior ætas
Maiorum partis sanguine rebus ali.
Commoda luxuriæ sic instrumenta relictas
Impia posteritas esse putabat opes.
Et cecinit tuba tum pompis, non terruit hostes,
Et præ Marte tibi gloria Bacho fuit.
Ac Monachi genus & studijs & inutile bello,
Nec sacra Pieridum, nec coluêre Dei.
Sacrificûm vero impatiens Martisq; Deiq;
Cætera curauit turba Lycæa nihil.
Ad doctos gens pigra libros, ad pocula velox,
Nec leue tunc Musis Imperioq; malum.

Blanda Venus pro Marte fero, pro Pallade Bacchus,
Pro calamo in precio tortilis ansa fuit.
Hinc pietas & prisca fides abiêre, nec arma,
Nec libuit purè tradita sacra coli.
Nec sacra, nec rerum caussas nouêre, nec vllus
Seu purè potuit viuere, siue loqui.
Infelix igitur cum nos ignauia luxu
Perderet, ac patrias attenuaret opes,
Nec iam sæua pati nostras vicinia leges.
Nec solito vellet subdere colla iugo:
Iamq́ue Itali nos vrgerent, Sclauiq́ue Getæq́ue,
Vestaretq́ue rudes impiger Hunnus agros,
Iamq́ue tot in patria victor calcaret aceruos,
Totq́ue daret flammis oppida, membra neci:
Martia tunc iterum nos signa coëgit egestas,
Armaq́ue degeneres puluerulenta sequi.
Tunc iterum latices Aganippidos Hippocrenes,
Et iuga Parnasi visere dulce fuit.
Et sanata feris iterum Germania bellis,
Se, toties armis pressa, leuauit humo.
Martis & vt fieret studiosa nouemq́ue sororum,
Hostibus in medijs sæpe coacta fuit.
Prima truci docuit miscere tonitrua bello,
Horrendisq́ue viros sternere fulminibus.
Scribere prima typis, librosq́ue parare premendo
Repperit, ingenuæ calliditatis opus.
Non hoc vtilius quicquam dedit vlla priorum
Aetas, vtilius postmodo nulla dabit.

Hinc

Hinc bona Romanæ rediȷt facundia linguæ,
Germanisq; vigor priſtinus ingeniȷs.
Eloquioq; graui par & prudentia, parq;
Militiæ virtus iuncta fidesq; fuit.
Vtq; manu doctæ peraguntur bella Mineruæ,
Aonioq; ſimul præſidet ipſa choro,
Sic quoq; bellatrix Germania ritè vacabat
Artibus, & culto pectore militiæ.
Teſtis ades clarum Phœbo Martiq; tuisq;
Maxime Germanis Aemiliane decus.
Nam melior te Rege ſcholis doctrina doceri,
Cœptaq; Relligio purius alma coli.
Teq; nouis conſtat generoſe, tuosq; Nepotes,
Victorem terris impoſuiſſe pedem.
Gens Hebræa ſuos igitur, Græciq; libellos,
Atq; ſuos nobis Roma diſerta dedit.
Ac nitor eloquiȷ tenebrarum diſpulit atra
Nubila, barbariæ concipiente fugam.
Ardua nobilium Luthere volumina vatum
Pandis, & arcanis condita ſacra libris.
Sed Græcas Ioachime doces, artesq;, Latinas,
Et tu Muſarum dulce Philippe decus.
Doctrinæq; pari ſtudio melioris Eraſme
Artibus ingenuis tempora multa dabas.
At decus Huttenus doctarum grande ſororum,
Arte fuit nullis, eloquiove minor.
Nobilis vt fuerit, generisq; propagine clarus,
Nobilior ſtudiȷs ingenioq; fuit.

Ciuibus ille suis, Patriæ florentis amore,
Auxilium calamis sæpe manuq; tulit.
Ille erat Oratorq; tonans, idemq; Poëta
Cui daret Aoniam Calliopea chelyn.
Carmine Medoacum tenuit, Tybrimq; Padumq;,
Et Rheni tumidas nobilioris aquas.
Nec pius in somnos, fœdæ nec in ocia vitæ,
Certa sed in patriæ commoda natus erat.
Oderat ignauos tantum qui nomine, non re,
Sunt homines, titulis turba superba suis.
Nec solum virtute sua sua secula iuuit;
Cura pio maior posteritatis erat.
Hinc tot virtutis veræ monimenta reliquit,
De sanctaq; pios relligione libros.
Hinc toties vitijs indicit amabile bellum,
Nosq; salutifera de pietate docet.
Hinc docet incautos ambages Aulicus Aulæ,
Hanc & luctificum differit esse Mare.
Perge igitur Luduice, tuæ spes optima gentis,
Et decus Huttenæ præsidiumq; domus,
In quo magnanimi facundia docta reuixit
Vlrici, ac patriæ pene ruentis amor,
Perge age, & acer opem rebus communibus affer,
Et bona more tuæ publica gentis ama.
Sic æterna tuis referetur gratia factis,
Nominis & laus est magna futura tui.

AVLA

AVLA
VLRICHI HVTTENI, EQVITIS GERMANI,

Ad

Henrichum Stromerum Auerbachum, Medicum.


Æ tu rem mihi periculoſam ſuaſiſti Stromer, de vita Aulica vt ſcriberem, hoc potiſſimum tempore, quo tot agẽtibus hic Principibus, tanta eſt Aulicorum frequentia. quaſi vllo modo tutum ſit, has ſpinas contrectare, aut conſultum eos irritare, quibus etiam ſi blandus ſis, non admodum placeas. Et dic mihi amiciſſime hominum, quid te iuuit, in hoc diſcrimen abducere amicum? nec in mentem venit cui me furori obijcias, contra quam rabiem excites, præſertim aulicum & ipſum nuper factum? vt in aula iubeas me Aulam offendere, & quod dici ſolet, ἐν φρέατι κυσὶ μάχεσθαι.

In puteo cũ canibus pugnare. Eraſ. Pro. Chil. 1. Cent. 10.

Quid reſtat aliud igitur, niſi vt me ob iſtas nugas, non in noſtra quidem Aula, in qua tuta, ac tranquilla ſunt omnia; Verum vbiubi negocium inceſſerit, vt apud hos rerum Dominos agendum ſit; ex ſtipatoribus vnus cubito protrudat, aut inflicta calce, præcipitem eijciat; deinde fiducia plenus, facti rationem reddat, ac cauſſam tueatur; quam mihi impugnare non vſquequaq; opportunũ ſit: demum ad Palinodiam quoque adigat, quam niſi mox promiſero, dentes amiſero?

Niſi tu contra Aulicam veſaniam habes medicamentum, aut iam paraſti helleborum, quo furentes illos inebries. Quod ſi eſt, quæſo in tempore conſilium cape, vt venienti malo occurras.

Sed vereor, ne in medicina non tantus ſis, vt hominum affectibus mederi ſcias. Et iam mihi caput, mihi os, mihi malę trepidant; Ac aliquem videre videor, ex Gigantibus Regijs, pugnum ſex librarum ſtringere, quem iamiam in buccam mihi impingat. Quod vbi fiet, tum vereor, ne tu in ſinum interim rideas, & pro ludo ducas, mihi alapas infligi, os obuerberari, dentes excuti. Et fortaſſe mortis cauſſa ſi mihi fueris, non magnifacies; quod Clericus

ricus non sim; vt illo te sagittent Canone Ecclesiastici Patres: SI QVIS SVADENTE DIABOLO, &c.

Clericum nō esse percutiendum, reperitur causa.17. quæst.4. C. si quis.

Verum heus tu, hominem esse memineris; idque satis existima, quod tibi iratum Deum reddat; quandoquidem sic ille dicit: Quod feceritis vni ex minimis meis, mihi feceritis. Vin Deum igitur prodere; cum hoc facias, si me aulicis simijs discerpendum tradis?

Quæso rem intuere, ac considera, quam non deceat, sero sapientem te illud, non putabam futurum hoc, prætexere. Credis enim, non vehementer quosdam succensere mihi, ob hoc nugamentum? aut eam esse in Aula moderationem, vt qui sic commoti sint, contineant sese?

Præterea memento aliquos esse, quibus iam ante auersa fuit à studijs mens: hi exilient, ac arma, & equos poscent, his fermè verbis: Hoc ille feret impune Scriba? Nosti enim, quantum litteratis detractũ putent, quando Scribas vocant, nobis contumeliam minime agnoscentibus. Qui vt stultus sit metus, vulgatum hoc tamen est; Occasione tantummodo opus improbitati.

Sed iocatum satis est. Per miras, Stromer,

mer, difficultates, vt tibi obſequerer, eundum fuit: Primum Canicularibus, infeſto ſtudijs tēpore, ingenium cum exerceam: Deinde in hoc Germanæ nobilitatis conuentu; in quo ita turbis referta ſunt omnia, vt nemo ſatis meminiſſe, quid ſuum ſit, queat: In quo nulla quies, nullum ſilentium, nulla tranquillitas, ingentes tota vrbe motus, vociferationes, tumultus, equitationes, ſtrepitus, clangores, equorum hinnitus, plauſtrorũ ſtridores, bombardarum tonitrua, tubæ, concentus, ſaltationes, ac plauſus. Quæ me cùm circumſtent, & paucis diebus abſolui negocium poſtulent, ac nihil interim ceſſare obeundis in Aula officijs liceat, aliquid arbitraris in hoc Dialogo futurum, quod his placeat, quibus vt placeamus, ſtudere debemus?

Ede tamen, inquis, vt te hic eſſe homines cognoſcant. Erras, bone Stromer. Neque enim tanti eſt, in hominum oculis ac auribus verſari me, vt ob id inconſideratius aliquid, & cui non prius limam admouerim, in lucem edam.

Placuit, ais, Peutingero, viro vt grauiſſimo, ita egregie docto, & naris emunctæ; Et Iacobo Spiegel, Regio Secretario, raræ homini

homini doctrinæ, & iudicij singularis; ac Stabio placuit, festiui admodum ingenij, & minime fucatæ eruditionis viro. Vt dicam quod sentio, commouisti me his Autoribus. Quanquam verendum, ne per amicitię studium, ex fauore potius laudent hi, quam ex iudicio probent.

Verum tamen peruicisti tu, atq; ecce tibi aulam in aula; sed in ea aula, in qua ista facere licet, & quæ, nisi talis esset, nos non caperet. Sic enim iudico, Stromer, simpliciores esse nos, quàm Aulicorum consuetudini aptum sit. Itaq; gratulandum interim nobis inuicem, quos ibi exercet Fortuna, vbi non magnopere nostri nos status piget; sub illo scilicet, omnium, quos hęc natio habet Principes, benignissimo, humanissimoq; Alberto Cardinali & Archiepiscopo, qui cùm maximo virtutum omnium teneatur studio, & singularis probitati amicus sit, imprimis tamen bonarum litterarum studia, eorumq; assertores, reuerenter suspicit, ac liberaliter fouet.

Quis enim nunc rectè per Germaniam eruditus est, quē ille non nôrit? Aut à quo tali vnquam salutatus est quem non largo munificētiæ suæ imbre consperserit? Atq; vt so-

vt ſolicitus nuper fuit, ne quid ſe indignũ pateretur bonus Capnion? Vt cupide litteris ad ſe vocauit ERASMVM? Cuius etiam nomini ſolet honorificam ſemper præfationem adiungere: & à nobis crebro percontatur, ex docte doctis, quid quiſque faciat, quid patiatur.

Quæ cùm ita ſint, & omnino liberior ſit nobis Aula, quam in qua libere aliquid iocari periculum ſit, Ecce tibi Dialogum, quem iubeo SPECVLI vice propoſitum eſſe Aulicis illis, in quo ſe intueantur. Quanquam Inuidiam deprecor, luſum eſt enim, ioco ſcriptum eſt, ne quis temere in nugis moueatur. Tum veniam meretur Miſaulus, tædio aulicæ conſuetudinis impatientius forte, quam pro tempore inuectus: Id quod pro me illis inculca, & iam colloquentem cum Miſaulo Caſtum audi.

CASTVS.

QVam non eſt hoc falſum, Miſaule, quod aiunt, Veſtis virum facit. Nam tu mihi ſic veſtitus, ſic cultus, valde places.

MISAVLVS.

At mihi contra non placeo, ac ad illos olim pannos reſpicio.

Caſt. Quid ais? ab his mundicijs, ad illas ſordes?

Miſ. A ſeruitute ad libertatem, Caſte: quem quidem pannis obſitum eſſe viliſſimis oportuit, vt liber eſſem.

Caſt. Non es tu liber igitur?

Miſ. Quia enim ſeruio. atque vt intelligas rem plane, vt eſt, hoc ſericum vltro accerſitam molliciem, & vitam viris indignam, arguit. Hæc, qua collũ obuinctum gero, aurea cathena, miræ indicium eſt captiuitatis. Tum vbi me Conſultorem ſalutari animaduertis, ſeruitutis Symbolum accipe.

Caſt. Quo me ducis? quæ abſurda refers? Serui ſunt, Captiui ſunt, qui in Principum Aulis verſantur?

Aulici Serui, Captiui, Exules.

Miſ. Et miſerum in modum. Deinde Exules quoque. Nam quod vides, molliter veſtiri nos, quid aliud ſibi vult, quam à veris vitæ officijs longe exulare? Atq; ita me dij ament, vt meam conditionẽ quoties repeto, neq; liber eſſe mihi, neq; vir, ſed ex peſſimo captiuorum genere videor. Atq; vtinam maluiſſem cum Diogene olera lauare, quam Regias cum Ariſtippo epulas ſectari.

Caſt. Valde præter opinionem iſta narras.

ras. Proinde si tibi videtur, rem clarius expone, vt edoceas eam vitam, in qua te ego fortunatum existimabam, tantopere calamitosam esse.

Mis. Facile est hoc intelligere Caste. Vides enim, vt breue vix tempus colloqui nunc tecum liceat, amico vetere, & aliquot iam post annos tandem reuiso: Sic illa cogit, temere abs te felix putata, conditio. Nam ad septimam statim horam, standum ad Principis conclaue: quem sic operiri, ceremonia est.

Cast. Et quamdiu standum?

Mis. Aliquot sæpe horas.

Cast. Quem in vsum?

Mis. Officij caussa, dum aliquid ille iubeat, aut ne quo incomitatior exeat. Adeo mea omnia extra me sunt: Ipse ab alterius iussu ac Imperio totus pendeo.

Cast. Quid? illud pulcrum non est, sic vestiri? Summo cum homine consuetudinem habere? His immunitatibus frui? hęc contrectare? huc ingredi?

Mis. Quid? Illud deforme non est, ad subitum tintinabuli pulsum, quasi fulmine territum, sic exilire? Abiectis omnibus ad summi illius fores consistere? ibique non tantũ quid ille iubeat, sed & quid

nutu

nutu significet, aut digito crepet, religiose, & ad anxietatem vsq; obseruare? Nullum habere sibi tempus, nullum locum proprium? omnia precario? aliena viuere quadra? ad omnem Principis occursum pallere? erubescere? fugitare? Nonnunquam timere, ac obstupescere? tum multa simulare ac dissimulare? Toties genua inflectere? tantisper nudo esse vertice? omnia seruiliter, omnia suppliciter agere? Nunquam tui iuris esse? Magnis diu laboribus, multis vigilijs, fauorē hominis captare? obseruare, ne quid dicas, quod ille probaturus non sit, nedum nequid facias? perpetua cum paribus inuidia conflictari? laudem pariter ac vituperationem indigno loco ponere? Nihil dicere quod sentias, sed quod conueniat? Plurima debere, plurima accepta referre? assentari? adulari? ipsum te negligere? omnia alterius curę mancipata habere? indigna multa facere, multa pati? sæpe contra naturam conformare te alijs?

Cast. Mare malorum commemoras.

Mis. Recte ais MARE: Et si libet, adde Tyrium Mare, quod impetu rapit, vi detinet, fluctu iactat, infidum, surdum, & instabile, repente turbatum, subito concita- *MARE aulicum.*

tum, inconſtans, inquietum, nunquam non procellis obnoxium, ventis expoſitum, tempeſtate furens, motu æſtuans, plenum periculis, plenum exitio, impellens, ac inundans: Omni monſtrorum genere, omnibus refertum portentis. Ad quod pernauigandum, cum me dulces quædam Syrenes illexiſſent, paulo poſt ſentire cœpi, cuiuſmodi malis fortuna inuoluiſſet, quantam mihi ad miſerias meus error feneſtram aperuiſſet. Ac lugens cum Homerico ſapiente dico, ὄιω μεὸ δαίμον τέρατι θεῖρξεν.

Caſt. Mirum, ſi tam fugienda res eſt Aula; cùm te Philoſophum reddiderit; ita vt gratiam habere debeas huic vitæ, quæ te ſic excoluit.

Miſ. Neſcis quanti hoc conſtiterit philoſophari.

Caſt. Quaſi verò quiſquam citra laborem Philoſophiam didicerit, aut dura non ſint, quæ ego facio; Vigilare, Eſurire, Sitire, Algere, Æſtuare, peregrinari, terra ac mari ſtudiorum gratia multa pati, fraudare ſe voluptatibus, accerſere dura omnia & iniucunda, pulices pati, à Cimicibus commorderi.

Miſ. Sunt iſta quidem, vt narras, acerba;

ba; ſed quæ tu, quatenus vis, minimeque coactus, fers. Tum eadem omnia affert Aula, & quædam præterea multo his duriora, niſi tu modica iſta tanti facis, vt in pulicis morſu τὸν ἀλεξίκακον Herculem inuoces.

Caſt. Omnes igitur ab Aula trahis, & deſertas Principum domus reddis? vel Miſeros omnes putas, qui illis conuiuunt?

Miſ. Nihil iſtorum Caſte. Verum ſanitatem illis precor Mundi Dominis, vt ſit inſtituendæ Aulæ conſilium. Deinde ſic aio, valde Prudentem eſſe oportere, magis etiam quam illum Homericum Vlyſſem, qui caute hanc conſuetudinem tractet.

Caſt. Vt intelligo, aut planè deſipiunt Reges, ac Principes, aut nulli boni ſunt Aulici.

Miſ. Neque hoc neq; illud. Nam & ſapiunt aliqui Principes, rari illi quidem, ſed tamen aliqui, & ex Aulicis quidam Vlyſſem imitantur, qui in turbulento hoc Mari nauigantes, cæra obthuratis auribus, inſidioſæ Syrenum cantionis capaces non ſunt, & conſilium habent præternauigandæ Scyllæ, vitandæ Charybdis, & in Syrtes *Quidam & Principes & Aulici boni atque prudentes.*

non impingunt. Tum quantum in ſe eſt, clauſos in vtre ventos continent, quo minus ſit perturbationibus locus.

Caſt. Et non rectè fit hoc, quod iſti ſuadent, vt nos tempori conformemus, & Scenæ, vt aiunt, ſeruiamus?

Miſ. Cum decoro, recte, ſi poſſis. Quantum dedecet enim ἀλωπεκίζειν πρὸς ἑτέραν ἀλώπεκα, quod Aula imprimis exigit? Porrò difficile eſt, Ibi continere te, vnde omnis exulat continentia; & Inuidioſum eſt, cum lupis ſi fueris, ſimul non vlulare: Mihiq; videtur, pauciſſimis datum eſſe, Chlamidem ſimul ac Pallium ferre.

Caſt. At pręclarum mihi videtur; MVLTOS HABERE AMICOS: id quod vobis procliue eſt.

Miſ. Neque procliue, ob peruerſa Aulæ ſtudia; neque, ſi id aſſequi poſſis, vno plus amico recte vtaris, vel Heſiodo perſuadente, cuius eſt illud, μηδὲ πολύξεινον, μηδ᾽ ἄξεινον καλέεσθαι. Et quemadmodum Ariſtoteles ſentit, omnem penitus Amicitiam excludere, nec vllius cõſuetudinem admittere, ferinum eſſe, & iniucundum; Ita ego puto, Multos habere amicos, hominis eſſe, nullius rei delectum habentis, nihil prudenter ſtatuentis, nihil conſtanter

ter facientis. Nisi Amicos vocas, qui vicies die salutant, & dum te sibi vicissim assentari volunt, genibus inclinant, nudo capite occursant, à tertio vsq; iugere dextram porrigunt. Et quidam sesquiulnaribus aduolutus tibijs, continuo thus illud Aulicum aspergit, magnifica promissa, ingentes pollicitationes. Dicas planè diuinitus oblatum tibi, à quo sic ameris. Cùm ille interim huiuscemodi inescatum te illecebris, totum ad se traducit, tuaque animaduersa simplicitate, crebro ista intonat; Heus age tuus sum, mea omnia committo tibi. Quid ni? Amicorum omnia communia; Vtere me vt voles: voles autem in mortem vsque, & confestim voles. Quas vbi bullatas nugas olfeceris, nihil prius tale expertus, incunctanter credis, ac forte secretum aliquod committis, quo ille arrepto, & certior factus, qua tibi parte plurimũ obesse possit, quod apud Comicum est, altera manu panem ostentat, altera fert lapidem: Verbis amicus est, cogitatione insidias struit; palam beneuolentiam, occulte periculum intentat. Qui vbi semel edoctus fuerit, quo te consilio subuertere liceat, nunquam sinit emergere, omnem præripit fauorem, & si quid tibi bo-

Amici & conuictores seu palpones Aulici.

bi boni destinatum est, callide occupat. Quod si neglectum te queraris, & officium requiras, aut in disceptationem voces rem ipsam, tum se tibi opponit manifeste iam, atque eo liberius, quod videri vult, aliquando Amicus fuisse tibi, possit & exprobrare illa promissa, illas bullas. Si ignoras enim, *Promittere etiam beneficium est in Aula.*

Cast. Et aliquos inuenire licet, ni fallor, bonos.

Mis. Et ea, Caste, rara auis est, quam tu vnquam sequi velles tanto periculo?

Cast. Nondum constitui, quanquam certum est Aulam experiri mihi.

Mis. Ac tanto derelicto bono, in tantum te vltro præcipitare malum?

Cast. Imo ex bono in bonum traducere, non minus recte, quam qui ex bono Citharœdo, bonus fit Poëta Tragicus.

Mis. Bene Tragicus.

Cast. Et ne quid præter rationem proponere me arbitreris, sic accipe: Omnes qui IN VMBRA PHILOSOPHAMVR, nec aliquãdo ad res gerendas accedimus, quod scimus nescimus. Nam vt in tranquillo nauim quilibet facile gubernat, ita in isto ocio, vnamquamque rem strenue lauda-

Academici quod sciunt nesciunt.

laudamus vel vituperamus, aut vtrunque facimus; & consilia damus, ac de rebus maximis acutissime interdum disputamus, verbis abunde instructi, re penitus inutiles, & ad omne opus, nisi exerceamur prius, inepti. Iam ego enim, quem in vsum toties caput scabo? Vngues rodo? Qui si hodie rerum administrationi admouear, omnia imperite egero, in consilijs absurda, & nihil ad rem suasero, vt iure exclamaturus sit aliquis; Boue ciues leporem venamur. Id quod illis quoq; contingere videmus, qui multos postquam annos in libris versati, multa ac varia bellorum genera legerunt, aliqui etiam scripserunt, opus aggressi, nihilo peritius rem militarem tractant. Adeo perite aliquid facere, aliud est, quam diserte dicere. At semper legere, semper meditari, aut scribere etiam, vel disserere, si nihil agas præterea, quæ tandem vita est? Mihi enim viuere non videtur, qui, quod nostri aiunt, sibi viuit. Adde hoc, quod hi, qui in studijs litterarum diutius versantur, nõ tantum interim non experiuntur res ipsas, verum etiam fiunt plærunque obeundis negocijs inepti, vnde suis vt plurimum moribus viuunt, ab aliorum conuictu ab-

Academici obeundis negocijs inepti.

 hor-

horrentes. Quos spectare licet, si quando hominũ frequentię admoti fuerint, quam sint in omnibus difficiles, quamque morosi, & communi plane sensu carentes. Audent tamen interim nulli non sua exprobrare vicia, ac Reges incessunt, vt stupidos, è medio tollunt militiam, omnem rei familiaris curã, vt superuacuam, damnant, in diem viuendum docentes, diuitias risu, voluptatem conuicijs insectantur. Rident fora, rident leges, non nauigare, nõ equitare per illos licet, puto non cacare etiam, & quæ maxima pestis est, coniugia quoque, vt rem friuolam detestantur, & humani generis propagationi operam dandã non putant, vellent Mundum desertum reddere, vt neque ipsi essent. Quid enim ista sibi volunt; optimum non nasci, proximum, cito natum aboleri? Aut quid non absurdum hi, qui vocantur MONACHI, aliquando declamant? Hortantur ad solitudinẽ, trahunt sub Regulam, cilicium ostendunt, vitam cœlibem solam cælo dignã prædicant, rerum vsum damnant, Mundum iugulant, quicquid extra cucullum est, Satanę addicunt, ipsi nihil experti, nulla neq; bona, neque mala fortuna exerciti. Atque hæc illis ingerunt

gerunt Cellæ ac ſolitudo, vt quicquid ex culicis morſu indignationis cõceperint, in Mores, in Tempora, euomant; In Principes, in diuites, ac quodlibet diuerſum vitæ genus iaculentur, ac illa ab Inferis terriculamenta hominum auribus atque oculis obſeruari faciant, ita depingentes, ac ſi viderint. Quos qui audiunt, aliqui mori deſtinant, alij in cellam ſeſe abſtrudunt: Nonnulli, derelictis coniuge ac liberis, ad ſolitudinem procurrunt. Quoſdã ita piget viuere, vt Patri ac Matri, quod ſe genuerint, iraſcantur. Quæ cum video, & quam non deceat hominem nihil agere conſidero, ac quæ ipſum me circumſtant intueor, *cùm iam tẽpus ſit, vt viuere incipiam*, non deſerendi quidem ſtudia conſilium capio, ſed emergendi ex his ſordibus viam proſpicio. Atque hęc prolixius attuli, quo ne mihi perſuaſum putares, tantũ bonum eſſe, ſic ociari. Tu cœptum de Aula ſermonem proſequere.

Miſ. Nihil iſtos moror, amice, qui terrarum orbi moleſti ſunt THEOLOGISTAS, ac difficiles illos, & ſuperci1ioſos diſputatores ipſe non probo, nec te in Cellam relego, & agendum omnino aliquid puto. Sed Aulam nego eſſe idoneam, qua emer-

gere potissimum cogites. Quod si obstinatissime vnum hoc vitæ genus tibi proponis, atque tibi actæ ętatis fructum quæris, tum te dico è nassa cibum petere.

Cast. At multi euehuntur apud Principes, & ad honores cito ac dignitates transcendunt.

Mis. Ac multi consenescunt ibi Pauperes, nec vsquam transcendũt, aut vnquam speratum vitæ portum attingunt. Quidam etiam maximas sæpe ad opes ac potentiam elati, quando illis visum fuerit, deijciuntur rursum ac spoliantur. Vide enim, quam acute hæc intellexerit sapiens ille, qui sic exaltatos, *calculis Arithmeticis* comparabat: Nam vt illi aliquando minorem, aliquando maiorem numerum referunt; Ita hos aliquando fortunatos, aliquando calamitosos, rursumque aliquando illustres, aliquando obscuros, vt Regibus libitum sit, haberi.

Opes ac potentia Aulica.

Cast. Licet sperare.

Mis. Et falli licet. Tum illud nunquam memoria tibi excidat, quod ille ait, & Rex & Vates; *Nolite confidere in Principibus.* Quod si me audis, non tanto spem istam precio emes, nec ad hunc scopum vitæ arcum intendes, aut dulcem SCHOLÆ quietem, com-

Psal. 146.

Dulcis Scholarum quies.

commutabis cum his turbis, quæ me annos iam plus viginti, ſine fructu exercent, dum teror ac conteror, dum ſudo ac algeo, dum valetudinem corrumpo, dura patior, grata refugio, dum magnis laboribus ac vigilijs conor, dum omnem aleam iacio, neque aliud tamen aſſequor, præter vnum hoc, quod tibi tantis malis parandum videtur, vt quemadmodũ Phryges, Sero ſapiam, vt in arenam ædificaſſe me, ac ventos coluiſſe videam, & illud tandem intelligam, quam non bene vitam inſtituerim. At te dulces interim Muſæ, omnis plauſus ſecurum, ab omni tumultu liberum, veraque & honeſta voluptas detinet.

Caſt. Egentem ſæpe multis.

Miſ. Contemnentem etiam multa.

Caſt. At nunc quærendæ facultates, deinde ad virtutis ſtudia redeundum, ſi vnquam liceat.

Miſ. Recte ſi liceat: Nam vt parari queant hæ, quas petis, facultates, aut laborem non feres tu, aut indigna multa non ſuſtinebis; deinde vereor, ne bonam tui partem deprauet Aula. *Difficultas Vitæ Aulicæ.*

Caſt. De labore ſcio, qui è nuce nucleũ petat, ei neceſſe fore, vt frangat nucem.

Iam

Iam autem firmior mihi videor, quam vt vllam posthac morum immutationem admittam.

Mis. De nuce fieri potest, vt nucleum non habeat, cui tu cum periculo dentem impegeras. Quod ad mores pertinet, nescis quam blanda pestis Aula sit; quãtumque pondus hi, qui *hoc Mare perflant*, VENTI quam nullo negocio dimoueant.

Cast. Dic aliquid de Ventis igitur: aut si pręstat, de Conuictoribus Aulicis interpellatum à me sermonem prosequere prius, deinde totum hoc MARE absolue.

Conuictores seu Amici aulici.

Mis. Quos commemoraui Conuictores, Caste, hi sunt, qui cum Vlysse illo tantum Maris obeunt, infidi ac fraudulenti comites, quorũ ille siue suo ingenio fraudem eluserit, siue Deorum benignitate insidias effugerit, ad aliquam deferetur Calypso primum, deinde Alcynoi hospitium, post Ithacam forte occupabit.

Cast. Qua hos igitur arte peruincere oportet?

Prouidentia cum primis in Aula necessaria.

Mis. Prouidentia; quam illi si quando abesse abs te senserint, perdẽdi consilium inibunt. Quare fidendum penitus nulli. Vt dicam enim quod sentio; Optimã etiam indolem, & recte institutam vitam, in

Aula suspectam habere oportet, quod hi, quos dixi Ventos, omnia impellant, ac perfringant, & summam sæpe innocentiam ad pessimos mores inuertant. An non audisti illum, qui ait? DISCEDAT AB AVLA, QVI VVLT ESSE PIVS. Verum vt sint aliqui boni, periculosa tamen ibi experientia est, quod multi sunt pessimi, suopte partim ingenio, partim aulico veneno imbuti, οἷσιν, vt ait Comicus, ὄυτε βωμὸς, ὄυτε πίστις, ὄυτε ὅρκος μένει. Proinde cautum esse oportet, qui cum ingenijs conflictari velit eiusmodi, ac danda sæpe verba, & vicissim adulandum, moresque dissimulandi sui, atque omni ablegato candore istiusmodi simulandum ingenium.

Lucanus lib. 8. bel. Ciuil.

Cast. Vt intelligo, primus est iste discendi à Philosophia gradus.

Mis. Et hæc est, quam dixi, difficultas, Quantus essem nũc enim ego, si vel simulare adulationem potuissem? Qui dum illum sequor naturæ rigorem, & bonus esse studeo, omnem tot ærumnarum fructum perdo, in sublime procul abeuntibus qui æquales erant, ac in his multis, qui nec diu iam, nec multum adeo laborauerunt.

Candoris & bonitatis nullus in Aula fructus.

Cast.

Adulari.

Cast. Omnino igitur Adulari necesse est Aulico?

Mis. Omnino: Sed faciunt hoc alij plus, alij minus. Aut quisquis huic iugo colligandam ceruicem præbuerit, opus est Alcybiadem imitetur. Nam vt aliter Athenis vixit ille, Attica morum suauitate; Aliter Lacedæmone, solutius; Rursum alijs apud Thraces, populum bellicosum, alijs apud Persas, mollem & delicatum, moribus vsus est: Ita opus est Aulico, omnem in modũ conformare se moribus eorum, quibus cum viuit, vt ingenio omnem in partem mutabili sit, in omnibus versutus ac callidus, in summa, ipso Proteo varius magis.

Aulicum Proteo magis varium esse necesse est.

Cast. Tragicum est hoc malum.

Mis. At in Aulica Comœdia spectatum, Caste, nec aliud frequentius, aut timendum magis, cum intestinum sit, cum domesticum. Nam qui aperte inimici sunt, facile ab his tibi caueris. Hoc malum, per speciem amicitiæ, clam irrepit, blandum venenum, fucata pestis. Atq; aliquos horum noui, miros in modos Principũ bonitate abutentes. Quosdam vero ita effœminate assentantes, vt non verba tantum rebus accommodent, verum etiam gestu

Aulici Principum bonitate abutuntur.

verba

verba exprimant: In quibus falsissimus animi Index Frons est: Qui omnem oportune affectum simulant, vtut volunt, colorem vultus mutant, Vdi ac molles, &, quancunq; personam fingere velis, idonei: qui omnia facile imitantur, ac exprimunt.

Cast. Et hos alunt Principes, ac honoribus efferunt?

Mis. Et primo loco; decepti scilicet, Homines grauibus alioqui curis impliciti, & ad tristiciam procliues. Quos illi, grata semper ac læta nunciantes, iucundè afficiunt, omnia eorum admirantes, omnia laudibus efferentes, etiam ea, quę iniquissima nouerint. Nō est inuenire aliud hoc hominum genere peius. Atq; hi sunt, qui suis pessimis consilijs, optime animatos Principes, in multorum, in Orbis, perniciem, inuertunt ac peruertunt: semper duplices ac bilingues; Per quos fit, quo minus recte sapiant, rectéve faciant illi. Quibus autoribus, neq; bonis præmium, neque pœna malis est. Hi sunt, Caste, qui Fumum vendunt: quibus ab illis emtoribus dicitur: Commenda me Principi. Porro officia & præfecturas ab illis mercari licet, & vt aliquid faciant, aliquid dicant *Pessimi homines qui?*

Principes,redimere: Quibus illi, quos volunt, caros, rursum, quos volunt, infestos reddunt. Hi, à quibus munera quoque acceperunt, his aliquando fucum faciunt: quibus autoribus, multorũ felicitas Principum perit ac subuertitur. Hi sunt, Caste, SORICES ac TINEÆ PALATII; qui plurima die noctuq; arrodunt, ac corrodunt, qui plurima deuorant. Omnino enim vitam ac sanguinem Principum exugunt isti, ac lente consumunt. De quibus valde prudẽter Antisthenes Philosophus olim monuit; Si necessitas vrgeat, præstare *in Coruos, quam in Assentatores, incidere*; Illos enim mortuos, hos viuentes deorare. Qui cum noxij vbique sint, vtiles nusquam, maximis tamen ac intolerabilibus aluntur sumtibus. Hos videas in omni mundicia, omnibus lauticijs deliciantes, splendide vestitos, bene nummatos, semper ebrios, ac temulentos, vel citra vinũ, studiosos aleæ, deditos crapulæ. Qui non aliter viuunt in Aula, quam illa Vlyssis domi Procorum colluuies; adeo non parare, aut augere rem nati, sed consumere ac perdere; ἄγουσι καὶ φέρουσιν. Neque istorum quicquam gratis; quandoquidem primi isti munifice donantur, liberaliter haben-

Sorices ac Tineæ Aulicæ.

habentur, regiè veſtiuntur, ad officia facile, præfecturas, ac honores euehuntur. Et de PALPONIBVS Aulicis dictum fortaſſe plus, quam oportuit; Sed iccirco, vt intelligeres, *hanc nauigationem* quid potiſſimum difficilem, ac intranquillam redderet: Ac in Aula *Amicitiam* ne præſumeres.

Caſt. Vt video, maxime indignis beneuoli ac benefici ſunt Principes.

Miſ. Atq; hoc eſt, quod vides quoſdam neque genere claros, neque virtute commendatos, in ſummum conſcendiſſe.

Caſt. Scribas maxime.

Miſ. Imo quoſdam Scribis inferiores: Atque vtinam Scribas tantum eueherent. Ita ſine iudicio ac delectu liberales ſunt Principes.

Caſt. Iamdudum extra tuum ſermonem meæ peregrinantur Aures, ac de illo cogito Morione. Sed tua tria verba, quæ neglexi interim, repete.

Miſ. Si de Morione prius dixeris.

Caſt. Audierat is auri penuriam conqueri ſuum Principem, & repente, quin tu Scriba vis eſſe, inquit, vt aurum habeas: Nam illos præ omnibus pecunioſos viderat.

Scribæ Aulici pecuniosi.

Mis. Ita est. Nam & primi illi, & plurima in Aulis Principum lucrãtur; partim dum litteras ac signa vendunt, partim dum cotidie aliquid à Principibus exugũt. Quanquam quid de Scribis querimur? qui qualescunque sunt, omnino aliquis illorum vsus est: Cum alij multi sint, omnino inutiles, tantum fruges consumere nati. Atque igitur dixi, sine iudicio ac delectu liberales sunt Principes.

Principes sine delectu liberales.

Cast. Dij perdant Assentatores omnes, quo ne bonos nobis diutius Principes perdant. Sed tu iam de Ventis narra: Nisi quid restat de Adulatoribus.

Ad adulatores fratres etiam annumerandi.

Mis. Huius generis sunt FRATRES, qui Principum mentes tenent, ex auditione Confessionis. Circa quod studium adeo superstitiosi sunt illi, vt credant perpetuo clausos sibi cœlos, nisi ex Dominici, aut Francisci PHRATRIA, bene saginatus aliquis, nitidus, & obæsus, aperiat. Neque enim satis est, Sacerdote hic vti, nisi *ex Ordine* sit. Quasi nemo post mortem reuixerit, antequam hi essent nescio quomodo ordinati ordines. Audiunt illi tamen interim secretissima quæq;, & non produnt, nisi raro forte, dum inter alios Palpones in multam noctem pergræcantur. Sed vt

nunquam prodant, tamen ſciunt, quid Principi, quatenus ſuadere conueniat, & quem non egredi oporteat limitem. Atq; igitur cautiſſime adulantur hi, ac mire ſemper abutuntur Magnatum vanitate, Quorum aliquis perſuadetur; Neminem aſcendere illam Beatorũ manſionem, niſi qui prius in ſcapulis Franciſci conſederit, aut quem ſublatum in brachia Dominicus ſurſum proiecerit, aut qui valde liberaliter fratrum reditus auxerit; Monaſteria locupletauerit, vel nouũ aliquem huic colluuioni nidum conſtruxerit. Quo fit vt indies magis ac magis creſcat illorum res, nemine reclamante, dum hoſtiatim colligunt: Quaſi res parua ſit, ſtipem emendicare, aut non in multa aureorum millia hi redeant ſtipes. Scilicet peritiſſimum eſt hoc Aſſentatorum genus, ac identidem pernicioſiſſimum: Nam per ſpeciem Religionis mali ſunt. Sed iam ad VENTOS vocor; Hi ſunt in Aula, Caſte, FAVOR; INVIDIA; CVPIDITAS; AMBITIO; LVXVS; CONSVETVDO; EGESTAS.

Cautiſſimi Adulatores qui?

Venti maris Aulici. VII. qui omnia turbant.

Caſt. Rem capere videor, quanquam audire libet, quomodo hæc à ſuo ſtatu mentem dimoueant.

I. Mis. FAVOR, Caste, vt iniusta suadeas, *Fauor.* cùm hoc demulctus, rectum dignoscere haud facile possis, & icci rco iniquam sæpe Amici caussam iuues, aut quæ amas, vtcunque cadat hoc, Principi probes: Con- II. tra INVIDIA, vt bonis sæpe obsis, æqui- *Inuidia.* tatem impedias, quæ infesta habes, persequaris. Quæ duo cum, qui in Aula versantur, assint omnibus, incorruptam non sinunt genuinam bonitatem. Atque ita fit, vt multa indigna contingant. Nam & eliguntur friuoli multi, ac excluduntur frugi homines, & iniuria fit bonis moribus. III. Iam de CVPIDITATE non dubitas, in *Cupiditas.* quos errores præcipitet: vt nihil sæpe facere, nihil dicere aliquis vereatur, dum quod cupit paret. Hinc illa sunt in Aulis periuria, illę perfidię, illa falsa testimonia, tanto crebriora, quanto quis eget magis. An non Cupiditas est, quæ facit, vt munera accipiant aliqui? vt fauorem Principis, vt fumum vendant? vt compilent? vt depeculentur? vt rapiant? vt furentur? Por- IIII. ro AMBITIO quid non perferre cogit? *Ambitio.* Omnia, digna ac indigna, obire facit hæc, & dissensionem excitat inter eos sæpe, qui sibi cari inuicem fuerant, & Adulationem ac Assentationem gignit, duas, vt audisti,

audisti, maximas Aulæ pestes.

Cast. Non ferendum vitium narras.

Mis. At frequentius ibi nullum est. Adeoq; late regnat in Aulis Principum Ambitio, vt huic vni accepta referantur omnia. Nullus violentior Boreas nauim impellit, quam illa hominis mentem concutit. Qua imbuti qui sunt, omnes autem sunt, quod hæc ab Aula nunquam absit, non dubitant pericula obire, discriminibus sese obijcere, per tela, per hostes ferri, amicum lædere, necessitudines perrumpere, fidem fraudare, in Deos atque Homines delinquere, dum huic Ciuitati præficiantur, hoc officium, hunc Magistratum occupent; aliquando etiam, vt sine fructu inanem titulũ ferant. Ita falsæ gloriæ studium, Aulicorum omnium animis tenaciter inhæret, aguntur que hoc flatu sursum ac deorsum, & in miros abijciuntur errores, nonnunquam naufragium faciunt, ac omnia perdũt, in largitionem ingenti consumta pecunia. Habet enim vicium hoc Comites Largitionem, & reliquas corruptiones, quibus, impellente Ambitione, tota flagrat Aula, ac omnia passim aduruntur. Quid LVXVS? quam morum deprauationem affert? quod con- V. *Luxus.*

 tagium

tagium trahit? Vitium tanto alijs odiosius, quanto plura perdit ac dissipat. Hoc errore contemnuntur pecuniæ, non quo à Sapientibus illis pacto, sed per stoliditatem ac dementiam. Contra vanissima omnia adamantur. Atq; inde preciosa vestis, inde Purpura, inde Aurum & Argentum, inde Gemmæ ac Margaritæ, & reliquæ id genus nugæ Aulã inuaserunt. Quæ omnia licet maximi emantur, magnanimitatis est tamen, ea abijcere, & pro neglectis habere; ac tanto quis animosior censetur, quanto hæc vilioris facit. Videas ad contentionem vsque insumi pecunias, quo ne quid splendidius alteri adsit. Nec ad vsum fit emptio, sed ad inanem ostentationem. Quo loco haud refert dicere, vnde suppetant hæc, aut hanc voraginem quid impleat. Certe impletam oportet, siue inde egeant subditi, aut ipsi etiã Principes egeant, siue vniuscuiusq; patrimonium huc erogetur. Ac plura multo profunduntur ibi inaniter, quam in vsum vertuntur necessarium.

Cast. Fieri video quæ dicis. Nam optime vestientem hic lanam, quid aliud contemnere docuit, vt peregre sericum emeremus, ac purpuram? Aut non potuimus

ornari,

ornari, populus bellicoſus, & omnis olim molliciei contemtor, ſine gemmis? ſine auro?& nos ſagi piget, nos loricæ?

Miſ. Tum Cynnama, Crocum, Piper, & reliqua exotica, id malum inuexit.

Caſt. Simul, credo, mores emolliuit, ac illud vere Germanum robur eneruatum reddidit?

Miſ. Sic eſt. Quanto decentius enim primi illi Germani ferarum pellibus amicire corpora ſolebant: cum multa interim ſtrenue facerent, quam nos ſic comti, ſic ornati. nulla bella gerimus: nullis Principibus, nullis Regibus iugum imponimus. nullam laudem parimus: nullam ad poſteros gloriam tranſmittimus: niſi quod alacriter plenis concurſantes POCVLIS vtrinq; vires comminuimus, corpora delaſſamus, ingenia perdimus.

Caſt. Quæ audio? ſed perge.

Miſ. Præter hæc, in miros ſæpe Scopulos impellit CONSVETVDO. Quippe multorum conuictus in Aula cum ſit, in procliui eſt morum exemplum, quod omnes trahunt; ſed ita trahũt, vt adhuc viderim, qui cum bonis conſueuerant, meliores paucos, admodum multos per malorum conuictum deteriores factos. Hoc

VI. Conſuetudo.

inducente flatu, Adolescentuli in Aulam delati primum, pereunt; omnis innocentia pessumit, candor infuscatur, bona indoles corrumpitur. Cum enim, vt q̃dam ait, in vetitum semper nitamur, ac negata cupiamus, abunde in Aula inuenire est, quo labem contrahamus; Alij in Gulones & Potores incidentes; Alij in Aleatores; quidam in scortatores? plurimi passim in Assentatores ac Simias Aulicas impingentes. Quorum in medio quæ tuta Probitas? quæ satis tibi munita integritas videtur?

Pueri in Aulas non mittendi.

Cast. Mihi quidem videtur ipsa Pallas hac assuetudine contractura malum, tali contagio tam pestifero inficiente: At misere decipiuntur, *Qui pueros in Aulam erudiendos mittunt*; cum inde vi, ac violentia extrahendi potius essent.

VII. *Egestas.*

Mis. Vt narras. Verum EGESTAS, quam dixi, suas & ipsa partes sibi vendicat, necessarium malum, quæ optime institutam indolem peruertit, nec sibi constare sinit; Quæ omnia venalia habet, & nihil non, pecuniæ studio, facit ac patitur. Hæc Proditores gignit, ac rebus semper nouis studet. Vides enim, vt opus sit egentibus illis quod prodigant, quando quidem & ipsis

ipſis commune eſt cum alijs, luxum colere? Itaque vndeunde poſſunt corradunt. Per fas & nefas quærunt. Certè enim, vt ille ait, viro eſurienti neceſſe eſt furari.

Caſt. Quid tu? illos Pauperes deteriores putas his, qui ex Crumena, vt fertur, generoſi ſunt?

Miſ. Nihil minus: Sed ſua ſunt & illis vitia, quæ nihil ad hunc locum. Egentes, omnibus ſemper vitijs obnoxij ſunt, cito munera accipiunt, cito ſpe lucri fidem frangunt: adduci facile poſſunt, vt ſecreta ſibi commiſſa effutiant, vt ea, quæ in conſilijs agitata ſunt, prodant: vt iniquã Principi cauſſam cõmendent. His interceſſoribus, ſi quis eos pecunia præcęperit, omnia, citra negocium, à Principe impetrabit. Atque hos præſertim obſeruant hi, qui Principum fauorem venantur, non imprudentius, quam qui oppidum expugnaturi, ea parte, qua munitum minus eſt, aggrediuntur.

Sed iam de his ſatis dictum, quæ Aulam turbant. Quæ rectè VENTIS comparauimus, quod vt illi, quieto mari, fluctus concitant, ita hi, quos memoraui, Flatus, miras Aulæ tempeſtates inuehunt, vt iam noſſe videaris, vnde hę ſint in Aula inquie-

tudines, hi tumultus. Verum QVO tandem diu multumque iactatam *Nauim* nostram *impellant*, accipe.

Cast. Audire gestio.

In quas Syrtes, Scyllas, & Charybdas, venti isti Nauim Aulicam impellant.

Mis. Aliquando *in perniciem* statim: Vt si quis cupiditate excæcatus, aut egestate coactus, rem cõmittat supplicio expiandam: Aut si huc eum consuetudo, quam cum malis habuit, abstrahat; Aliquando *ad Infamiam*, his eisdem spiritibus, aut per Ambitionem & Luxum.

Cast. Quo illi, puto, recidunt, qui aut in furto depræhensi sunt, aut mercede fidem prostituerunt: Aut verò qui Ambitionis studio Principi fucum fecerunt, aut qui per vinum, vel amorem, turpia admiserunt.

Mis. Qualis ille hic nuper fisci præfectus, à quo Princeps rationem audire cum vellet, intellexit vno anno decocta aliquot aureorum milia.

Cast. Et qui pacta cum hostibus pecunia, nihil vtile Cæsari suasit.

Mis. Et multi qui Magistratus emunt, & honores mercantur.

Cast. Et qui vino dediti, multa sæpe tacenda, per ebrietatem effundunt.

Mis. Qualis etiam fuit, qui paucos ante

annos

annos in hac aula verſatus, cum honeſtum locum haberet, ſed per luxum prodigeret omnia ac ære alieno obrueretur; Meretriculam, cuius amore tenebatur, equeſtri ordine natus Iuuenis, vxorem duxit. Deinde nō ſuppetente quod neceſſarius vſus requireret, latrocinijs vitam tolerauit: ac tandem cum alijs latronibus comprehenſus, Carnifici ſecandam ceruicem præbuit.

Caſt. Vt capio, hæ ſunt in iſto Mari SYRTES, hæ SCYLLÆ, hæ CHARYBDES, quo nauigantes hoc modo deiecti pereunt.

Miſ. Et LESTRYGONES, Caſte, ac CYCLOPES, qui ſtatim deuorant. Ad quos ille, ſcis, deferebatur, qui, cum pacta mercede Principis vitæ inſidiaretur, conſilio preuentus, extremo ſupplicio affectus eſt, & nunc à quatuor ſtipitibus dependet. Et quem proxime laqueo ſuſpendi vidimus, quod ærarium compilaſſet. *Leſtrygones & Cyclopes in mari aulico.*

Caſt. Et quem ego vidi Romæ, quod liberius monuiſſet Pontificem, capite plecti.

Miſ. Mon ille, Caſte, ſed forte ad Scopulum offenderat: Sunt enim SCOPVLI etiam hoc in Mari, caute tranſeundi, ne *Scopuli Maris aulici.*

frangas

frangas Nauim, & omnem ſemel ſubſtantiam perdas.

Caſt. Et hi qui ſunt?

I. Miſ. Vnus omnium maxime vitandus, *Ira Principis.* IRA PRINCIPIS, Nam qui huc impegerit, actum de eo puta. Atque audi, Caſte, quo potiſſimum periculo verſemur apud Principes. Siue te enim tuus ille conductor benignius reſpicit, anxius es, ne quid offendas, & fauorem vt retineas. Siue abs te oculos, aures ac manus longe habet, bene mereri ſtudes; idque vigilando, laborando, dum ſurſum ac deorſum volitas, dum frigus ac æſtum fers, dum digna ac indigna pateris, dum omnia conaris, ac ſæpe cõtra flumen natas. Ita ſemper laſſandus venis; ſemper ac ſingulos in dies deterior fit ſeruitus: Dum tamen interim neſcis, an hæc ille ſentiat aut agnoſcat. Qui ſi ſcit etiam quantum merearis, non facile tamen concedit, quæ ad tranquillitatem tibi ſunt. Quippe ex cuius re eſt, hiantem detinere, ac ſuſpenſum, ſperantem ſemper fore, vt emergas, vt aliquid ſe mitius det, vt ſit laboris merces, ſudoris præmium. Quo in ſtatu ſępe interimcontingit, vt tibi iraſcatur ὁ δεινὸς ἐκεῖνος, ob leuem aliquam aduerſum te cauſſam motus,

tus, quam ille tanti facit, vt magna deprecatione opus ſit, quo tecum in gratiam redeat: Cum ſæpe ob rem nihili, ob floccos, ob pilum, ob vicioſam nucem, ob fumi vmbram, excandeſcant Principes, inflammentur, rabiem contrahant, furiant, ac Cœlum terrę miſceant; breuiter, in nugis Tragœdias agant. Tanti eſt diu ſeruire, ſe affligere ac conterere. Quapropter quoſdam vidi, poſtquã multis annis ſumma diligentia maximis laboribus ſeruijſſent, ſemel vel ficta cauſſa commoto Principe, pecunia pariter ac libertate multatos, nonnullos vita etiam ſpoliatos. Leuiores Scopuli ſunt *Principum* SVSPICIONES; quarum illi capaces maxime ſunt, ſed in quas non ſine periculo incidimus. Atque in his ego perpetuo, Caſte, ob loquendi libertatem, quo plurimum offenduntur illi, hæreo. Deinde *Parium* INVIDIA, intra quam non admodum ſecure nauigatur. Ac præſentius omnibus malum DELATIONES, quarum cum impetu ſi impariter conflixeris, periculum eſt rerum ſimul ac vitæ. Porrò caute omnino tractanda eſt eius, cui ſeruis, quantumcunque iuſta OBIVRGATIO. Ea eſt his ægris natura, quædam ſibi nonnunquam vlcera

Eadem adhuc agitur fabula, mutatis tãtum perſonis.

II. *Suſpicio Principis.*

III. *Inuidia parium.*

IIII. *Delationes.*

V. *Obiurgatio Principis.*

VI. vlcera tangi nolunt. Iam hoc quam fugiendum & ipsum est Saxum, SPECIOSA vxor si illi sit, aut FILIA, ne vel ames, vel amari tibi contingat.

Amor vxoris aut filiarum.

Cast. Ad huiusmodi scopulos perijt apud Alexandrum Callisthenes.

Mis. Et cum periculo nauigauit Agis Argiuus, eundẽ reprehendere ausus, quod in Adulatores & ridiculos, perinde ac in bonos liberalis esset.

Cast. Clitus vero, quam ab illo Cyclope repente deuoratus est.

Mis. Et ab Astyage, quæ passus est Harpagus?

Cast. Et sub Cambyse Prexaspes vt habitus?

Mis. Porro illi Romanorum Imperatores quam misere multos habuerunt?

Cast. Nostra autem tempestate, quæ se indigna dederunt? Et in Sueuis illud quale exemplum? Proinde omni pede standum, ne in hoc mari nauigationem experiantur, qui vitæ consultum volunt suæ.

Aula quasi Pistrinum.

Mis. Quod nisi à me sic esses monitus, quo te præcipitasses?

Cast. In mirum, vt video, PISTRINVM. Quapropter alia ineunda vitæ ratio est.

Mis. Ita Caste cogita. Nam aut Ager honeste

neste coli potest; Aut litteræ doceri; Aut vtcunque manibus operari licet, & rem militarem exercere, aut Medicinam tractare, vt ex te tibi viuas.

Cast. Recte suades. Tu verò sic monito me, quid tandem in hac pœnitudine tibi proponis, iam senex? An omni deuorato boue, in cauda tandem deficies? nec extremum Fabulæ actum implebis?

Mis. Ne hoc quidem degeneris animi, vel in extremo resistere. Et iam varie super his consultans, nondum inuenio, vt me expediam.

Cast. Dij te ex ista iactatione in portum aliquem referant Misaule, ac, vt libertatem recipias, faxint, aut aliquam tibi fructuosam cogitationem indant, qua te ab his retibus explices.

SED prosequere, oro, de vita Aulica, quando adhuc ante horam sumus, quæ te ad illud seruitutis hostium auocabit. Et quod restare videtur, quæ te CAVSÆ in hanc Nauigationem adduxerint, aut de SYRENIBVS, vt meministi, aliquid refer.

Mis. Audi igitur seruitutis huius causas, nam fructum aliunde, opinor, intellexisti. *Syrenes Aulicæ.*

xisti, Primum ea, Caste, quæ tu quoq; paulo ante suspexisti, admirabar: *vestium nitorem*, *Aurum*, & *Gemmas*: Ac illos Arabice olentes *Purpuratos*, vt Deos, verebar. Deinde magnifaciebam, *his conuersari*, ad quorum conspectum etiam, summa contentione, maxima sæpe multitudo procurreret; *hisq; colloqui*, & eorum *familiaritate* censeri: ac illas affectabam *immunitates*, & *diuites* omnes putabam, qui sic ornarentur. Cumque patrimonium mihi esset perexiguum, facile hoc loco ditescere proponebam. Quædam præterea insita fuit & Iuueni, & Imperito, vt multis, AMBITIO. Nam aliquãdo videns ex Aulicis reuerenter aliquos appellari, ac orari ab his, qui aliquid apud Principem captabant, deinde muneribus quoq; peti: Rebar omnes in Aula consuescentes, potentia plurimũ valere, ac facile audiebam, cotidie increpantes me his verbis: Quin tu in Aulam te confers, vt prodesse & tibi possis, & omnibus tuis, aliquam adeptus præfecturam, aut ad aliquod promotus officium, vel aliter Principi carus? His ego, Caste, *Syrenibus*, cum occinuissent, neque ego, Vlyssis consilio, cæra aures obthurassem, subuertendum me præbui, deceptus miser, cum
mini-

minime pręſentiſcerem, in quę mala, Deo irato meo prouoluerer. Nam quid *Veſtes* admirabar ſtultus, quę truncum etiam ornant, & animum non arguunt? cum ex Animo conſtet homo, nec ad eum aliquid pertineat eorum; quæ exterius adhærent corpori.

Caſt. Quo minus illos fero, qui MONACHI vocantur, qui nobis veſtiũ oſtentatione volunt ſanctimoniæ opinionem perſuaſam: Cum hoc hominũ genus valde deteſtatus ſit Chriſtus: quem ego credo, cum in terris eſſet, nihil aliter, atque alios homines, veſtibus vſum. Hi autem quas non diuerſitates excogitant? in quod ſe non monſtrum transformant, vt quam maxime diſſimiles ſint per omnia? Atque in his aliud Franciſco placuit, aliud Bernhardo: Aliter viſum eſt Dominico, aliter alijs.

Miſ. Neque illud videbam, multos ſic veſtitos, plurimis interim egere. Sunt enim iſta non ex hominum facultate, ſed conſuetudine ac moribus Aulæ, quæ vult homines iactabundos, oſtentatores, glorioſos, ac magnificos, qui ſe omni foris pulchritudini ac venuſtati conforment; cum intus morbidi, marcentes, ac mire

Splendor aulicus.

informes sint, &, vt mihi videtur, similes parieti incrustato, intra quē ruinosa multa sint, aut sepulcro splendide foris extructo, ac statuis & imaginibus egregie adornato, quod deformes intus caluarias, nuda ossa, & obscœnos fœtores contineat. Quin etiam multi horum, vt sic vestiantur, fraudant, rapiunt, ac furantur. Nam habendus est in Aula vestitus, non quem tu parare potes, sed qui ex Principis dignitate est.

Cast. Ibi te illius meminisse oportuit, quod Crœso obiectum à Solone est. Nam ille cum adhibito Solone, aurea se sponda molliter ac regie adornatum, nitide composuisset, ac ab illo percontaretur, nunquid vnquam speciosius vidisset? Respondit Solon; Gallos gallinaceos, Pauones, & id genus animalia: In his enim admirandum Naturā spectaculum exhibuisse: Regis stoliditatem arguens, ac istiusmodi fucorum contemtum innuens.

Mis. Et multa præterea; quæ si mihi in mentem venissent, non his concessissem, huiusmodi obijcientibus illecebras, Syrenibus. Qui si itidem, quam periculose tractentur Regum ac Principū AMICITIÆ, considerassem; non tanti fecissem, huic

Imicitia Principum.

inter-

interesse pompæ, in qua multi opprimuntur. Quam friuolum est enim, tunc se putare carum his dominis, cum dextras porrigunt, aut osculandas etiam præbent: aut vbi familiariter colloquuntur: Cùm non affectus sint illa, sed ostentationis plærunque, quæ per omnia in Aulis regnat, ac insidiosi vt plurimum sint Principum affatus, quos illi ob id blande conferunt, vt suorum animos explorent, & affectos hac benignitate, ad effundendum aliquid temere inducant. Plurima enim oportet simulare ac dissimulare Reges. Vnde non imperite solebat dicere Germanus Imperator Segimundus: Qui nesciat simulare, eum nescire regere. Plærisque verò tunc affabiles sunt, cum soluendum salarium est. Ac iccircò blande conferunt, ne sibi illi pecuniam petendo molesti sint. Maxima enim & ibi difficultas est, postquam diuturnam ac duram seruitutem seruieris, vt stipendium extorqueas, quod siue non petis, non soluitur; siue multum ac sæpe, offendis. Hoc autē tempore omnes ferè per Germaniā Principes egent, propter luxum & vanitatem, quibus dediti, plurima inutiliter absumunt. Vides enim vt multa scurris, ludionibus, Mimis, Para-

Affatus Principum insidiosi.

Salaria difficilia.

Ebrietas aulica. sitis, ac Musicis largiantur? Vides, vt in Aulis noctu diuque bibatur & edatur? vt pauimenta vino madeant? vt plus Ebrij isti profundant, quàm ingurgitent? plus ingurgitent, quam ferre possunt? Tum ad *Vestitus aulicus.* æmulationem vsque dantur vestes. Atque is est Principum tumor, quanto magis egent, tanto minus egere videri volunt: & iccirco nihil de pompa, nihil de apparatibus remittunt: Imò in alterius inuidiam alter prodigit, ne perdendo inferior sit. Interea speciosus ille foris colossus est, intus squallet. Quod me, *ditescere* volentem misere decepit, aurũ subæratum cum pro solido venerarer, ac istas esurirem pontificales cœnas, ad has tam cupide respicerem gallicas vestes, ad hæc monilia. Nam in Aulis qui habent ista, plærunque nihil præterea habent. Quinetiã plus aliquando perdunt aliqui seruiendo, quã lucrantur, quod apud quosdam neq; emergere *Stultus delectus Principum in assumendis ministris.* est, & rem suam dissipare oportet. Porrò stultissime delectum agunt Principes eorum, quos in famulatum assumunt. Neq; enim ex virtute licet emergere, sed vt plurimum quæritur, qui procera sit statura, latis humeris, ardua ceruice, prælongis tibijs. Atq; is commendabilior sit, si etiam

BARBAM ad terrorem adornet, & calamistro cæsariem vrat, ac per Aulā ingressus, huc illuc brachia iactet, tibias ventilet, humeros ostendat, vt illos poscere videatur Virgilianos cæstus, cum Entello pugnaturus; & vestes habeat discolores, ac per omnia pictas, magis etiam quam pictus est gallus gallinaceus, triginta gallinarum maritus, cum istiusmodi Thrasonum vnus, non sufficiat ad explendum vnius mulierculę desiderium. Scilicet Athletas bonos amant Principes crassos istos, pingues, & torosos. Illos verò macilentos, breues, graciles, subpallidos ac tenues, quanquam prudentia forte & consilio valeant, non admodum curant, quia *non* est, inquiunt, *bene personatus iste.* At hos Gigantes in satellitium citra cunctationem libenter assumunt, ac tales sibi gaudent esse anteambulones & sectatores, quanquam minus sit nonnunquam in aliquibus cerebri, quam in culice sanguinis. Nimirum hoc comitatu abunde ornatos se etiamsi nulla sit virtutis ne cogitatio quidem, putantes: præter quos capita extollunt Adulatores, quos dixi; relictis post tergum bonis, & plærunque pauperibus. Nam, vt nosti,

Barba aulica.

Vestes discolores.

Quantum cerebri in nonnullis aulicis.

Iuuenal. Sat. 3.

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angustæ domi.

Atque hi sunt, quorum hæc Ilias capax est, quæ alioqui.

Stultorum Regum, & populorum continet æstus.

Aulico tyroni quid cogitandum?

Quod intelligentem considerare oportet, prius quam aggrediatur; An aptus sit hæc obire munia. Nam præter ea, quæ dixi, quid in Aula ferendum sit, nihil te celabo. Ac primum omnium, quod de *immunitate* dixi: quæ posset in hac seruitute immunitas esse? Quam molestum est autem, ac indignũ, omnia humiliter, omnia submisse & abiecte facere? Nam cum omnino seruitus sit Aulica vita, nec aliam appellationem capiat, quam ea, quæ faciunt Emticij, quando nomen haud effugiamus, in re ipsa solatium repositum habere debebamus, vt esset hęc scilicet *liberalis seruitus*. At non putant nunc Principes aliquod esse inter se, & ministros suos discrimen, nisi ad contumeliam vsque vtantur opera nostra. Itaque volunt assiduitatem, volunt sudores, volunt quoquo eant, vt se velut propria vmbra comitemur, neque amant quenquam, nisi qui in oculis sibi perpetuo sit. Et eos benignius habent, qui obstippo ante se capite, quoties

Immunitas Aulicorum nulla.

Aulica vita seruitus.

ipsi

ipsi respexerint, inclinant: Quibus agilia sunt genua; qui omnes illorum nutus, nedum iussa obseruant; qui Ceremonias aulicas pro Legibus colunt, atque igitur vno omnes ordine callent & exequuntur, ita vt si latum ab his vnguem discedant, piaculum hoc sit. Proinde Desertores vocant eos, qui non semper in tergo sibi hærent, magis, quam qui in acie loco cesserunt. Et summum studium est, vt recte misceatur regiæ pompæ strepitus, vt ad omnem Principis intuitum palleat quis, ac attonito similis sit. An non vides, vt apud hos titubantem dicere oportet? Et præ timore sudantem nonnunquam? Vides, quantumcunq; aliquod familiare & exiguum est negocium, qua perplexitate, quam hęsitanter ac trepide ille dicit Orator, Vt Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram? Vbi periculum est, si in tituli pronunciatione vel syllabam prætermiseris, aut poplites tui si officium ibi minus citè faciant; cauendumque vt omnia sint mollia, perfracta omnia, vt opus sit docto alicui Comœdiarum actori operam dedisse, ac histrionicã didicisse, quo ne quid in congenudatione aberretur. Quæ cum vanissima omnia sint, tamen plurimum in his

Ceremonia aulica pro legibus colenda.

Histrionica aulica.

diei absumitur. Deinde Apparitiones illæ quales sunt, quando totas nonnunquam VI. horas standum est vno quasi in vestigio? quando huc, illuc, sursum, deorsum procurrendum? quando equitantem illum per vrbem fessis diu pedibus sequi oportet? quando in plurimam frequenter noctem obseruandus est, dum à conuiuio redeat? quando in æstu ac frigore excubandum. Et sunt homines, qui in his ærumnis vitam putent: qui in hoc volutari cęno volupe admodum ducant, & pro delicijs habeant hæc facere, hæcque pati. Quasi aliquid adhuc intersit, inter *Aulicam Captiuitatem*, & eos, qui bello Thurcis seruiunt: aut seruiri Principibus citra assentationis vicium possit. Quæ sunt enim ista paulo ante à me pertractata, quæ etiam si ad amussim exequi studeas, & efficere quod placeat coneris, tamen in ambiguo est, an tuam ille sedulitatem agnoscat, aut per optimos illos conuictores an placerę tibi liceat. Nec minus danda opera, nequid Aulici isti Susurrones improbent, quam ipse ille Iupiter tuus ne offensam contrahat. Qui si assiduum te videant, vt iam frequentari in Principis auribus incipias, meritum omne tuum inuertunt, graue

Susurronibus etiam in aula seruiendum.

uem

uem vocantes ac importunum. Et vbi aſcendere quantuliſcunque gradibus animaduerterint, deijciendi conſilium capiunt. Quorum ſtudio factum eſt, vt inter abiectos nunc accumbam. Certe enim FORTVNÆ ROTA eſt, Caſte, in hac vita, in qua quotuſquiſq; ſi aſcenderit etiam, diu conſiſtere poteſt? Quod viciſſim omnia fiunt; vt, qui nunc ſublimes ſunt, rurſus decumbant, & qui paulo ante deprimebantur, nunc ſummo in orbe conſpiciendi emineant, vt alius alium impellat, vt tuum illum æmulum, ſi quid tibi proſpere ſuccedit, vrat. Iam in illa pompa, quæ INVIDIA eſt, quis quo loco ambulet? quæ AMBITIO? Deinde PRÆLIBATORES, cui malo exponunt ſe? percepturi, ſi qua illi domino mors deſtinata ſit. Atque adeo nequid tutum, nequid ſit in Aula pacatum, aliquos vidi à Morionibus exoculatos, dum prouocati illi furiunt, quoſdam ad mortem vſque cæſos. Inter quas moleſtias, inter quæ diſcrimina, quid tandem præmij, quid ſolatij eſt Caſte? Aut non ſemper vigilãdum; Alteram in partem, ne tibi vileſcat gratia, in alteram, ne tui ſit tædium? Et forte officium petis, quod aut locatum iam eſt, aut, ſi vacet,

Rota Fortunæ in aula.

Prælibatores Aulici miſeri.

Moriones aulici moleſti.

eet, plurimos habet competitores: quorum tu ſtudio niſi par fueris, quando tandem ſpes eſt, multis vnum præferri? Tum nonnunquam in PIRATAS incidit hæc nauis.

Caſt. Quos in Piratas dic oro? Nam vt video, omni à parte *Nauigatio eſt vita Aulica*.

Miſ. Quid aliud enim? niſi tu quicquàm inueniſti magis huic ſimile.

Caſt. nihil eſſe credo.

Pirata Marium aulici.

Miſ. Proinde multos habeant Inſidiatores, multos etiam aperte Inimicos, neceſſe eſt, qui multa poſſident. Vnde ſi contigerit ei, apud quem ſeruis bellum eſſe, ac in hoſtes tu incideris, & illi captum abducant, tum quis redimit?

Caſt. Quis enim alius, quam cuius id cauſſa paſſus ſim?

Miſ. At nemo minus Caſte. Nam tuum ibi patrimonium diffluit; Ac ipſe te vt liberes opus eſt. Quod ſi immitiorem nactus ſis Piratam, Carcerem, Vincula, Torturas tibi propono: nonnunquam etiam mortem.

Caſt. Duram valde conditionē narras.

Miſ. Quaſi aliquid mite ferat Aula. Vides igitur aliquot ſæpe millia, ob duorum homun-

homuncionum leuiusculam contentionem, ex ambitione sumtam forte, mutua se cæde conficere?

Cast. Video.

Mis. Quid Principum familiaritatem suspicis igitur?

Cast. Quia in animum non reuocaui ista.

Mis. At nunc sapies.

Cast. Tuo beneficio.

Mis. Quamobrem fortunatum te, qui alieno periculo caues, me infelicem, qui sic pereo.

Cast. Ni fallor, bona Principum pars, ea facit, quæ de Syracusano illo respondit Diogenes. Nam interrogatus, quomodo Amicis vteretur Dionysius? Vt Vasculis, inquit, dum plena euacuat, & abijcit vacua.

Aula quomodo Amicis suis vtatur.

Mis. Sic est. Et iam prope arbitror, vt bene vacuum me eijciat ille: quādoquidem longius esse mihi à limine, quam solebam, videor. Ac nisi me omnia fallunt, iamdudum illam exuo gratiam, qui diu seruiui, & quod pœnitendum maxime est, optimam vitæ partem, & ætatis florem in Aula perdidi, inter Sycophantas ac Assentatores, inter fastum ac superbiam Aulicorum

rum congerronum. Inter magnificos Satrapas, Regios Canes; inter homines, Caste, quorum ne in cœna quidem laudandus sit aliquis: Inter gloriosos milites: Inter illos, Caste, equites, qui sunt ipsi magis plærunque bestiæ, quam hæ, quas equitant: atque adeo inter Centauros, inani spe, sine fructu, duris semper modis fatigatus ac delassatus, dum virebant genua, dum omnia erant integra. Qui si hodie abijciar, ac aliquis roget, quonam pacto in Aula cosenuerim, quid aliud respondero, quam quod ille apud Senecam, *Iniurias patiendo, & gratias sæpe agendo?*

Cast. Vicem tuam dolo, Misaule, quanquam desperandum non puto, & forte tempus est, vt lætius aliquid eueniat.

Mis. In illius hoc, Caste, genibus situm est: qui quomodo aliquid daturus credetur, exhausto iam & inutili, qui omnia falso promisit Iuueni & valido?

Cast. Spes est hæc lubrica, quantum sapio.

Mis. Te monitum igitur velim, ne tam periculosæ *nauigationi* te committas. Quid enim diuitias sperat aliqs, inter tot egentes competitores? aut potentiam quid ambit, quam sine inuidia habere non potest?

test? aut quam si habeat, cum periculo habeat? Cum de omnibus illis secum potentibus male suspicentur. Porro, quis, nisi valde stultus, si hoc modo sit monitus, in hac experiri naue sustinuerit, cuius, præter alia, tam spurca est, tam fœda ac tetra SENTINA? *Sentina nauis aulica.*

Cast. Etiam Sentina ibi molesta est?

Mis. Etiam, nequid vlli Nautæ patiantur, quod non commune illis sit cum Aulica familia. Igitur immundissimæ sunt in Aula sordes, mira obscœnitas. Primum CIBVS vt multis, ita negligenter apparatus, marcescentibus sępe ac rancidis *carnibus*, in vas nihil purius coniectis; quibuscum *Grylli* se, *Muscæ*, ac *Aranei*, & id genus animalia miscuerunt, aut quæ *Vermes* iam pepererant. Atque hæ quales quales sunt, *semicoctæ* tibi nonnunquam apponuntur. Iuxta insipidum olus, aut legumina vtcunque commixta: aut *Pisces* iamdiu ante mortui, aut aliquid his multo spurcum magis. VINVM aut acidum, aut quod ab alia sumtum mensa est, de quo biberat forte barbatus aliquis, barbam profuso nuper iure infectam habens. Qui *aßident*, hesternam crapulam olent, & eructant, per omnia fœtidi. Quorum aliquis percaca-

I. Cibus.

II. Potus.

tis sedet fœmoralibus, vini impetu emollita aluo, aut apud ipsam mensam vomit. Nam ita frequenter hæc fiunt in Aula, vt quocunque tempore abs te aliquis percontetur, quid agatur in Aula, recte illi respondeas; *Bibitur, vomitur, effunditur*. Huc adde, quod non hominum tantum, sed *bestiarum* etiam ferẽdus est fœtor, Canum excrementis tota referta Aula, aduersus quæ obthurasse nares, adeo est inurbanũ, ac inelegans, vt in fabulam quoq; venire soleat. Atque his te, vt feras, assuefieri oportet, tum alibi, tum vero in ipso etiam triclinio sumentem iam cibum: Quanquam prȩter ista nihil ibi lautum, nihil est mundum. Crassum ac multo semper iure impinguatum *mantile*, vt digitis hærens, quoquo trahas, sequatur. *Calices* situ oppleti ac feculenti, mirum in modum conspurcata, iuxta inquinata omnia, ac obscœna, & odore vt plurimum teterrimo. Noctu autem quæ commoditas *quiescendi*, inter obstreperos Potores? Quorum ille ἀμουσότατον aliquid, nocte iam concubia, quod omnium asinorum ruditum superet, occinit. Alius vino disertus, aliquot sæpe horas sermocinatur, inconditis tibi fabulis somnum interturbans: Forsitan & eundem

In Aula quid agatur.

III. *Odor.*

Mantile. *Calices.*

IIII. *Somnus.*

eundem tecum ſortitur lectum, aut ex Ebrijs illis vnus, aut qui ex morbo puteat, ac ſcabie infectus ſit, aut cui ſpurce oleat anima, vel qui alijs tibi modis ſit moleſtus. Adde *Lectos*, non impuros tantum, ſed & peſtilentes ſæpe, vbi ille dormierat paucis ante diebus morbo gallico adeſus, vbi leproſus aliquis deſudauerat: *Lodices* ſextum ante menſem lotæ, in quibus ſe volutarunt morboſi illi, quæ multam, ſi inſpicias, ſaniem, multũ pus exceperunt. Atque hæc omnia tunc magis obijciuntur, quãdo vaga eſt Aula, vt in alijs ac alijs *Diuerſorijs* pernoctandum ſit, humi nonnunquam, vix raris ſubſtratis tibi ſtipulis, aut pediculoſa aliqua culcitra, inter Cimices, ac pulicum examina.

V. *Lecti.*

VI. *Diuerſoria.*

Caſt. Capio, & videre memini ebrios modis omnibus immundos.

Miſ. Tunc cum in ſuis illis verſarentur delitijs?

Caſt. Cum eodem in triclinio alij biberent, alij vomerent, nonnulli inuicem ſibi oppederent.

Miſ. Tunc, cum ille iaceret iam victus potor, ac inter dormiendum vomeret, inter vomendum dormiret, excubantibus

bus iuxta canibus, qui omnes mediotenus palato sordes elamberent.

Cast. Cum alij scorta, alij taxillos poscerent.

Mis. Non iam ignoras igitur, cuiusmodi tibi, si huc concedas, exhaurienda *Sentina* sit. Quod si cum ipso nonnunquam Principe seorsum cœnes, vt laute omnia parata, eleganter apponantur; non audes per verecundiam apposita sumere, ac TANTALI more, in copia eges. Tum te interficiunt, aut morbis obnoxium reddunt varia ciborum genera, quibus appositis, continere te facile non potes, quin nimis edas. Et longo interuallo missus importantur. Ac ea plurimum hora cibus sumitur, quæ tibi minime conuenit. Neque enim in Aula tunc editur, quãdo homines esuriunt, aut tunc bibitur, quando sitiunt, aut suo tẽpore quiescitur. Omnia cõfusa sunt, omnia intempestiua. Et forte expectandus est ille, qui aut in venatione, aut Ius dixit, ac Leges dedit. Quæ omnia eo tendunt, vt *valetudinem negligas*, ac corrumpas, vt *Febres*, vt *Podagras*, vt *Vlcera*, ac *Pestes* contrahas.

Tantali Aulici.

Fructus & effectus vitæ Aulicæ.

Sed iam, credo, satisfecisse, & tuæ, Caste, petitioni, & meo in te studio, quo magis ad

gis ad ſeruitutem remittas iam me. atque audin ſonare æs illud, quod me dixi ad officium vocaturum?

Caſt. Audio, ſed breuiter adde, aliquid ſi reſtat, Epilogi in modum.

Miſ. Quid vis addam? niſi vt moneam, quo *Mare* illud tot modis ſuſpectum fugias ac vites: Ne vnquã *Nauigationi* te committas, tam periculoſæ, tam exitioſæ: Ne in rebus adeo dubijs, adeo incertis, ſpem ponas: Ne tibi pedicas induas, ac ſpontaneam vltro ſeruitutem accerſas, in qua poſtea miſer cum ſis, non identidem ſis miſerabilis, cum talis eſſe volueris, & ex miſeria voluptatem tibi petendam duxeris: Ne te ex commodiore vita in has *Tempeſtates*, has *Procellas*, vnde emergere difficilimum ſit, abijcias: Ne ab animo exules, & in his afflictionibus immunitatem ne quæras: vt memineris libertati renunciatum, vt primum in Aulam te mancipaueris; niſi ſeruus non eſt, aut captiuus non eſt, qui vnam domum egredi, citra præſcriptum, non audet: Omnino, vt longum valere dicas Aulæ, in qua corrupta ſunt omnia, οὐδὲν ὑγιὲς: vbi difficultates miræ obijciuntur, *Arcana reticere*, O-

cium recte disponere, Iniurias tolerare; Vbi alijs opera impenditur, sibi malum accersitur; Vbi optimum quod habemus, frustra *Tempus* conterimus. Tandem vide huic inuenustæ venustati ne te capiendum præbeas; quo ne foris iucundissime demulctus, intus acerbissime tracteris, deniq; misere subuertaris. Nam quid refert, aureis te cathenis vinctum quis, an ferreis detineat? Aut aliquid refert, à quo metallo piscis trahatur? In summa, *Vt* MARE *esse memineris Aulam*: De me, vt ab isto naufragio enatem, videro.

Cast. Dabo equidem operam, ac tibi multa libenter debeo, qui me in tempore monueris.

Mis. Tibi ego gratiam vicissim habeo, quod me non oscitanter audiueris. Sed iam eundum est, tu vale, ac in longum vale, & extra Aulam vale.

Cast. Et tu vale, ac liber esto.

Mis. Quod Dijs videatur, Caste. Sed ecce, Velinũ video reuerti à Principe, quem de salario persoluendo moniturus, hodie accessit. Interrogabo, quod responsum tulerit. Heus tu Veline; Audin Veline? τὶ σοι ἀπόλλων κεκιθάρισεν.

Anno

ANNO DOMINI, M.D. XVIII.
Lypsiæ excudebat olim Valentinus
Schuman, Cum priui-
legio Imperi-
ali.



LVCIANVS SAMOSATENSIS:

DE IIS, QVI MERCEDE CONDVCTI, IN DIVITVM FAMILIJS VIUUNT.

ERASMO ROTERODAMO interprete.

ARGVMENTVM, AVTORE IACOBO Micyllo, Scholæ Francofurtensis olim Rectore.

AVLICÆ vitæ molestias, & incommoda, oratione hac depingit Lucianus, quamq; indigna ea sit homine præsertim docto, & liberaliter instituto, exponit: confutatis etiam caußis ijs, quibus sese tuentur, qui hoc vitæ genus sectantur, & in seruitutem vltro sese præcipitant.

Exordium ab attentione incipit, amplificando rei magnitudinem, fidemq; faciendo dictis, ab eorum persona, qui in eadem

eadem vita aliquandiu vixerunt. Mox & beneuolentiam captat Timoclis eius ad quem ſcribit, ab officio amicitiæ, indicans ſe hæc propterea illi ſcribere, vt quia illum iam olim de hac vita ſuſcipienda, cõſilia agitare intellexerit, ne quid olim, ſi res malè cadat, & illum conſilij ſui pœnitere incipiat, accuſare ſeſe poßit, vt à quo admonitus, aut reuocatus non fuerit: præſertim quando ſciat hanc vitam non modo per ſe difficilem atq; periculoſam eſſe, verum etiam homini Philoſopho, aut quocunq; deniq; diſciplinarum genere docto, minime conuenire.

Exordio in hunc modum peracto, confutationem ſtatim ſubiungit earum cauſarum, quibus ſeſe tueri ſolent, qui hoc vitæ genus vltrò amplectuntur. Diluit aũt omnes eas per inuerſionem, oſtendens ea maximè, vel ſequi, vel negari, quæ illi cum primis euitare, vel conſequi ſtudent: ac poſtremo etiam turpe eſſe homini docto & ingenuo, ob ſolam ſpem voluptatis

alicuius, in voluntariam seruitutem sese dare. Atque hinc iam ad ipsam rem accedit, propositis per diuisionem ijs, de quibus dicturus sit.

Vironis aulici molestiæ.

Principio igitur recenset quanta incommoda, quantæq; molestiæ perferendæ
I. *sint, Antequam in Aulam recipiaris. Deinde, quæ & quanta toleranda, atque adeò deuoranda, vbi iam receptus fueris,*
II. *Circa prima conuiuia: Circa pactionem*
III. *mercedis: Circa seruitutem reliquam,*
IIII. *quæ mox exceptum atque perdomitum,*
V. *paulatim in Contemptum adducit, & ad*
VI. *Adulandum impellit: præterea & Metu*
VII. *periculisq; inuoluit: ob quæ variæ exin-*
VIII. *de querelæ, & vitæ mutatæ Pœnitentia sequuntur.*

Atque hæc omnia non domi solum
IX. *perferenda esse indicat, verùm etiam Foris, vbi interim multò sordidiora mini-*
X. *steria imponuntur, etiam à Mulieribus, quibus æquè ac viris Adulandum est.*
XI. *Posthæc & Circa munerum Compensationes,*

tiones, quo pacto nuncij ac dispensatores conciliandi, & Circa mercedis solutionem, quanta cum molestia exigenda illa, quantaque aliorum etiam inuidia accipienda sit: & postremò, quàm ignominiosi Exitus plerosque maneant, senes iam & exhaustos, cum clam aut turpiter ab Aula profugiunt, aut reijciuntur. XII. XIII.

Quæ omnia ad finem, velut in tabella quadam proposita, breui sed eleganti admodum imagine depingit, & ob oculos ponit, amplificatis etiam in media passim oratione ijs, quæ maxime vrgere aut commendare voluit.

DE VITA AVLICA,

LVCIANVS, AD TIMOCLEM.



Ecquid tibi primum, amice, aut quid poſtremum, quemadmodum vulgo dici conſueuit, recenſeam, ex his quę tum facere, tum pati coguntur, qui mercedis gratia ſeſe in alienas domos, conuictumque tradunt alienum, quiq; in locupletum iſtorum amicitiam accenſentur; ſi modo eiuſmodi illorum ſeruitutem conuenit amicitiam appellare? Noui enim permulta, atque adeo plæraque omnia, quæ illis ibi ſoleant accidere, nõ, per Iouem, quod ipſe ea experimento cognôrim, (neque enim mihi vnquam experiundi incidit neceſſitas, ac ne quando incidat, Dij prohibeant) ſed quod complures, qui in hoc vitæ genus inciderant, apud me ſoliti ſint commemorare: partim qui in ipſis etiam tum malis conſtituti, quæ & quanta ferrent, deplorabant: partim qui tanquam è carcere quodam profugi, non abſque voluptate recordabantur, commemorabantque ea, quæ fuerant perpeſſi. Imò iuuabat

uabat reuocare ob oculos, quas ærumnas effugiſſent.

Atque hi quidem digniores mihi viſi ſunt, quibus fides haberetur: vt qui eius ſacri ritus (vt ita dixerim) omnes, omniaq; myſteria perdidiciſſent, cunctaq; ab initio ad finem vſque perſpexiſſent. Hos igitur haud quaquam indiligenter, nec oſcitanter audire ſoleo, veluti naufragium quoddam, ac præter ſpem obiectam ſalutem enarrantes. Cuiuſmodi ſunt iſti, qui in templis deraſo capite, complures ſimul obambulantes, immanes vndas, procellas, ſublatos in cœlum fluctus, iactus, malos fractos, gubernacula reuulſa narrant. In primis autem geminos Caſtorem & Pollucem apparentes (nam hi peculiariter ad hanc Tragœdiam pertinent) aut alium Deum quempiam repentè, quemadmodum in fabulis fieri conuenit, exortum, ſummíſque antennis inſidentem, aut iuxta clauum adſiſtentem, qui nauim ad littus aliquod molle dirigeret, ad quod appellens futurum eſſet, vt & ipſa paulatim ac lentè ſolueretur, & ipſi tuto in ſolum deſcenderent, idque ope fauoreque diuino. Atque iſti igitur permulta id genus ad præſentem commoditatem exag-

gerantes, commemorant, quo videlicet à pluribus ſtipem accipiant: ſi non calamitoſi modo, verum etiam Dijs chari eſſe videantur.

Porrò ij dum eas quas in tectis tulerunt tempeſtates referrent, atque immanes illas vndas, quin etiam decumanos fluctus, ſi fas eſt dicere; & quemadmodum primum à littore ſoluerint mari tranquillo, quantumque moleſtiarum perpetua nauigatione ſint perpeſſi, dum ſitiunt, dum nauſeant, dum ſalo perfunduntur: Denique quemadmodum infélici nauigio in cautem quampiam ſub vndis latentem, aut in ſcopulum aliquem præruptum, & aſperum illiſo fractoque, miſeri ægre enatârint nudi, cunctarumq; rerum inopes: Hæc inquam quum referrent, mihi quidem viſi ſunt permulta præ pudore ſubticere, volentéſque ac ſcientes obliuiſci. At ego etiam illa, preterea autem & alia nonnulla, ex illorũ narrationibus coniectans, deprehendi quicquid ærumnarum cum eiuſmodi conuictibus coniunctum eſt. Quę quidem omnia haud grauabor, optime Timocles, tibi percenſere. Iam pridem enim mihi videor animaduertiſſe, te de capeſcenda hac vitæ ratione cogitare.

Nam

Nam olim quum his de rebus ſermo incidiſſet: mox ex his, qui præſentes erant, quiſpiam mercenarium hoc vitæ genus laudare cœpit, fortunatiſſimos eos affirmans, quibus contigiſſet horum vti familiaritate, qui apud Romanos eſſent optimates; cum conuiuijs adeſſe opiparis, idq́ue immunes: præterea ſplendidis in ædibus diuerſari; tum peregrinari omnigena cum commoditate voluptateq́ue, alba interim in rheda (ſi fortè libeat) reſupinatos. Inſuper ob hanc amicitiam, obq́ue commoditates quibus afficiuntur, etiam mercedem capere: id verò non mediocre videri. Iſtis enim haud dubiè citra ſementem ac culturam (quod aiunt) cuncta prouenire.

Hæc igitur atq; id genus alia quum audires, animaduerti quemadmodum ad ea inhiaueris, quamq́ue auidè ad eſcam os apertum porrexeris. Proinde ne quid mihi certè in poſterum poſſis imputare, neque expoſtulare queas, quod quum te conſpiceremus tantum vnà cum eſca deglutientem hamum, non reuocaremus, neque priuſquam in guttur demergeretur, reuulſerimus, neq; præmonuerimus, verum poſteaquã ceſſaſſemus, donec eo iam

adacto

adacto atque infixo trahi iam, ac vi duci conspiceremus, tum quum nihil opis afferri possit, frustra adesse nos atque illachrymari. Hæc, inquam, ne quando possis dicere, quæ si dicantur, merito profecto dicantur, neque à nobis refelli possent, quo minus peccasse videremur, vt qui prius ista nõ indicassemus: audi nunc ordine omnia.

Ac rete quidem ipsum cuiusmodi sit, quamque nullum habeat exitum, non intus medijs in finibus inuolutus, sed foris tutò, atq; per ocium ante contemplator: vnci æris aculeum, reflexam hami aciem, ac tridentis cuspides manu tentans, malaque admotas experiens. Quod nisi vehementer acuta, nisi sic illigãtia, vt effugiendi nulla sit facultas, nisi dira vulnera factura videantur, acriter trahentia, & inexplicabiliter retinentia; nos quidem inter formidolosos, atque ob id etiam pauperes, famelicósque asscribito: ipse verò, sumta fiducia, venatum istum, si videtur, aggreditor, Lari in morem totam escam hiatu deglutiens. Atq; in vniuersum quidem forsitan tua caussa omnis hic sermo dicetur. Quanquam non solum de vobis Philosophis, aut his quicunque vitæ instituturum

tutum sibi delegerunt cum virtutis studio coniunctius, verum etiam de Grammaticis, Rhetoricis, Musicis; breuiter de omnibus, qui in doctrinæ professione versari, quæstumq; facere proposuerunt. Cęterum quum omnia sint inter istos communia, eademq; prorsus accidant omnibus, palàm est Philosophorum conditionem non esse à reliquis eximiam. Imò hoc illis turpius ista contingere, quum sint cum alijs communia, si ij, qui conducunt, non alijs præmijs eos, quam reliquos dignos iudicent, nihilóque magis quàm cæteros in honore habeant.

Sed quicquid erit, quod narrationis series aperiet, eius culpam potissimum in ipsos conferre par est, qui eiusmodi faciunt, deinde in eos, qui talia sustinent. Ego verò culpari non debeo, nisi forte veritas & libertas in commemorando reprehensionem mereatur. Ac reliquum quidem hominum vulgus, puta palæstricos quospiam, aut adulatores imperitos, sordidoque animo, ac suopte ingenio humiles, & abiectos homines, ne operæ precium quidem fuerit, ab eiusmodi conuictu dehortari, quippe nequaquam obtemperaturos; neq; rursum æquum sit illis vitio vertere,

tere, quod nõ relinquant ſuos conductores, etiam plurimis ab illis contumelijs affecti. Sunt enim ad eam vitæ rationem accommodati factique, neq; ea videlicet indigni. Præterea ne habeant quidem aliud quippiam, ad quod ſeſe conuertant, & in quo ſeſe exerceant, adeò vt ſi quis eam vitam illis adimat, ignaui illicò, conſilijque inopes, deſidioſi atq; inutiles reddantur. Quamobrem nec ipſi rem aliquam indignam patiantur, nec illi contumelioſè facere videantur, ſi (quod aiunt) in matellam imminxerint. Etenim ad eas ipſas contumelias iam inde initio præparati, conferunt ſeſe in familiam, atque hęc ſola illis ars ſuppedit, ferre & perpeti quicquid acciderit.

Cæterum eruditorum nomine, de quibus inſtitueram loqui, meritò indignandum, enitendumque, vt, quàm maximè fieri poteſt, eos inde reuocatos, in libertatem vindicemus. Videor autem rectè facturus, ſi quibus de cauſſis ſe quidam ad hoc vitæ genus conferunt, eas cauſſas excuſſero, parumque idoneas, atque efficaces eſſe demonſtrauero. Siquidem eo pacto omnis illis præripietur excuſatio, ſummúſque ille titulus, quo ſuam

ſpon-

ſpontaneam ſeruitutem ſolent obtexere.

Iam igitur plæriq; paupertatem, & rerum neceſſariarum inopiam proponunt: atque eam vmbram ſatis idoneam exiſtimant, qua ſuum factum prætexant, quod vltrò ad eam vitam acceſſerint. Ac ſibi ſufficere credunt, quum aiunt, ſe quiddam ignoſcendum facere: qui id, quod eſt in vita moleſtiſſimum, nempe paupertatem, ſtudeant effugere. Poſtea in prõptu Theognis, atq; illud plurimum in ore: *Cauſſa ſeruitutis Aulicæ.* *I. Paupertatis fuga.*

Nam quemcunq; virum paupertas enecat.

Et ſi quę alia terricula abiectiſſimi quique Poëtæ de paupertate prodiderunt. Equidem ſi viderem, ex huiuſmodi conuictu, paupertatis effugium aliquod verè contingere, non admodum anxiè cum eis de vehementer amplectenda libertate diſceptarem. Ad poſteaquã eiuſmodi quædam accipiunt, cuiuſmodi ſunt ægrotantium alimenta (quemadmodum egregius ille dixit Orator) qui queant effugere, quo minus in hoc ipſum parum rectè ſibi conſuluiſſe videantur, nimirũ ſemper illis manente eodem vitæ illius argumento? Semper enim manet paupertas, ſemper accipiendi neceſſitas, nihil ꝙ ſeponatur, nihil

nihil ſupereſt quod reſeruetur. Verum quicquid datum fuerit, vt detur, vt vniuerſum etiam capiatur, prorſus omne inſumitur, ita tamẽ, vt ne id quidem in vſus ſufficiat.

Rectius autem futurum fuerat, ſi nequaquam cauſſas eiuſmodi comminiſcerentur, quæ paupertatem ſeruant, aluntque, atq; eatenus duntaxat opitulantur, verum quæ illam tandem aliquando tollant. Ac forſitan tibi hoc volebas Theogni, quum diceres eam in altum mare, ac præruptis de ſcopulis præcipitem dari oportere. Quod ſi quis ſemper pauper, ſemper egens, cum ſemper mercede conductus mereat, hoc ipſo ſeſe arbitretur aufugiſſe paupertatem: nõ video qui fieri poſſit, quo minus hic ipſe ſeſe fallere videatur.

2. Conditioni vitæ, ſeu ætatis aut valetudinis infirmitati, conſulere.

Rurſum alij negant ſeſe paupertatem formidaturos, ſi modo reliquorum hominum in morem poſſint ſuo labore, ſuaque induſtria ſibi victum ſuppeditare. At nunc ſibi fractas eſſe corporis vires, ſeu ſenio, ſeu morbis: eoque ad eam vitam mercenariam, facilem videlicet atque commodam, confugere.

Age igitur, inſpiciamus num vera prædicent,

dicent, & num ea, quæ dantur, ex facili illis ſuppetant, non multo, neq; adeo maiore labore conſtent, quam vulgo ſuus victus. Nam id quidem etiam votis expetendum, vti citra laborem, citra ſudorẽ, nullo negotio paratum argentum accipias. Verum quam hęc abſint à vero, iſtud profecto, vt dignum eſt, ne dici quidem ſatis poteſt: tantum laborum, tantum ſudorum in eiuſmodi conuictibus exhauriendum, vt hic ne valetudo quidem ad id par ſit, quippe quum quotidie ſexcenta non deſint negocia, quæ corpus conficiant, adq; extremam vſq; defectionem delaſſent. Verum hæc ſuo loco dicemus, quũ etiam reliquas illorum incommoditates commemorabimus. In præſentia ſat erat oſtendere, qui ſe aiunt hac de cauſſa in ſeruitutem addicere ſeſe, ne iſtos quidem vera dicere.

Supereſt iam vt eam cauſſam referamus, 3. *Diuitiarum voluptate frui.*
quę quidem vt eſt veriſſima, ita ab illis minimè profertur. Nempe ipſos voluptatis gratia, & amplis illis ſpebus incitatos, vltrò inuadere familias diuitũ, auri argentique vim & copiam admiratos: præterea quòd felices ſibi videantur ob conuiuia, reliquas eius vitæ delitias: ſperantes futu-

rum, vti mox, nemine vetante, affatim aurum bibant. Hæc nimirum ſunt, quæ illos adducunt: atque ex liberis ſeruos conſtituunt. Non rerum neceſſariarum vſus, quem prætexebant: ſed rerum nõ neceſſariarum cupiditas, atq; ingentium illarum & amplarum opum admiratio. Enimuero quemadmodum miſeros iſtos, atq; infelices amantes, callidi quidam & veteratores amaſij receptant & faſtidienter ducunt, lactantq́ue videlicet, quo iugiter amantes, ambiant ipſos, atque inſeruiant: Cæterum ex amoris fructu, ne ſummo quidem oſculo impertiunt. Intelligunt enim copia facta diſſoluendum amorem, id igitur ne fiat, præcauent, diligenterq́ue ſui copiam ſubtrahunt. Alioqui ſpe ſemper retinent amantem: metuentes, ne deſperatio minuat cupiditatis ardorem: amantemq́ue ab ſe alienet. Proinde ſemper arrident, pollicenturq́ue, ſemper facturi ſunt, ſemper gratificaturi: ſemperq́; ingentium ſumptuum rationem habituri: donec imprudentes ambo ſenuerint, atque vtrique iam præterierit ætas: huic ad amandum, illi ad dandum. Atque ita omni vita nihil illis peractum eſt, vltra ſpem meram.

Atqui voluptatis cupiditate nihil non ferre, id quidem forſitan nõ vſq; adeo vicio vertendum:quin magis venia danda,ſi quis voluptate capiatur, & hãc vndequaque cõſectetur,quo poſſit ea potiri: quanquã turpe forſan ac ſeruile, ſi quis ea gratia ſemet in ius tradat alienum: propterea quod voluptas, quæ ex libertate percipitur multo ſuauior eſt, quam ea, quam ille libertatis iactura ſectatur. Attamen hoc quoque aliquo pacto ignoſcendum illis ſit,ſi modo conſequantur. Verum enimuero ob ſolam voluptatis ſpem, multas perferre moleſtias, equidem & deridiculum arbitror, & ſtultum: maximè quum videant labores certos eſſe, manifeſtos & ineuitabiles: porrò illud quod ſperatur, quod quidẽ nihil aliud tandem eſt, quàm voluptas, ne tam longo quidem tempore contigiſſe.

Præterea autem, nec veriſimile videri, vt contingat aliquando,ſi quis modo rem recta reputet via. At Vlyſſis quidem ſocij, dulci quadam guſtata loto, reliqua negligebant,ac pręſenti voluptate deliniti, honeſta contemnebant, vt non prorſus cum ratione pugnârit in illis honeſtatis obliuio: nimirum animo voluptatis

 illius

illius ſenſu occupato. Verum ſi quis famelicus alij cuipiam loto ſeſe ingurgitanti, neq; quicquam inde impertienti, aſſiſtat, idque ſolam ob ſpem, quod credat fore, vt & ipſi aliquando deguſtandam lotum porrigat: aſſiſtat, inquam, ad hunc modũ, recti atq; honeſti oblitus, Dij boni, quam hoc ridiculum, planeque verberibus quibuſdam Homericis dignum.

Ergo quæ iſtos ad diuitum conuictum adducunt, & quibus impulſi ſeſe illis dedunt, ad quodcunq; lubitum fuerit vtendos, hæc ſunt, aut his fermè ſimilima. Niſi ſi quis & illos commemorandos eſſe iudicat, quos hæc vna res ad in commouet, quod glorioſum arbitrantur, cum illuſtribus atque opulentis viris habere conſuetudinem. Sunt enim qui hoc quoque præclarum ac magnificum ſupraque plebem exiſtimant. Nam ego quidem, quod ad me proprie attinet, recusârim vel cum Perſarum Rege conuiuere duntaxat, conuictorque videri, ſi nullus ex eo conuictu fructus ad me redeat.

4. Gloriæ cupiditas.

Propoſitio ſequentis orationis.

Quum itaq; cauſſa eius vitæ ſuſcipiendæ ſic illis habeat, age iam conſideremus apud noſmetipſos, primum, cuiuſmodi ſint illis perferenda, priuſquam admittantur

tantur, priusquam obtineant: Deinde cuiusmodi in ipsa iam vita constituti patiantur: Postremò quæ tandem catastrophe, quis fabulæ exitus illis contingat.

Neq; enim illud dicere possunt: hæc tametsi molesta sint, tamen assuesci facilè neque ad id multo opus esse labore, sat esse si velis modo: postea reliqua omnia facta fore facilia. Imò necesse est, vt primum diu sursum ac deorsum cursites, manè excitatus assiduè pro foribus obuerseris, vt perdures, quum protruderis, quũ excluderis, quum improbus interdum atq; importunus vidêris: cùm Ianitori malè syrissanti, ac nomenclatori Lybico subijceris, quumq; nominis tui memoriam mercede redimere cogeris. Quin etiam vestitus tibi est apparandus supra tuæ rei facultatem, pro dignitate eius cuius conuictum ambis, deligendus color, quo ille potissimum gaudeat, vti ne discrepes, néue oculos illius offendas. Postremò vti gnauiter assectere necesse est, vel antecedas potius, à famulis protrusus, ac veluti pompam quandam expleas. at ille interim complures iam dies ne aspicit quidem te. Quod si quando res tibi felicissimè verterit, si te respexerit, si accersiuerit, dixeritque, quic

1. Tyronis anlici molestia, antequam in Aulam admittitur.

1. Assectatio.

2. Salutatio.

quid illud fuerit, quod illi fortè in buccã venerit, tum deniq; tum plurimus ſudor, tum multa oculorum caligo, tum intempeſtiua trepidatio, tum ſannæ eorum, qui adſunt, hæſitantiam tuam ad perplexitatem ridentium. Qua quidem non raro accidit, vt quum oportuerit reſpondere, quis fuerit Rex Achiuorum, mille naues illis fuiſſe reſpondeas. Atque id, ſi qui ſunt modeſti, pudorem vocant, immodeſti timiditatem nominant: improbi inſcitiam. Ita fit, vt tu primam hanc diuitis comitatem tibi periculoſiſſimam expertus, ita diſcedas, vt tantam animi tui imbecillitatem ipſe condemnes. Porrò vbi multas iam noctes inſomnes duxeris, vbi plurimos dies cruentos egeris, haud quidem Helenæ gratia, (per Iouem) neque ob Priamëia Pergama, verum ſpe quin-
3. *Exploratio vitæ.* que obulorum; contigerit autem & Deus quiſpiam tragicus, qui tibi ſit auxilio, iam illud reſtat, vt exploreris excutiaríſque, num literas noris. Atque ea quidem diſceptatio non iniucunda eſt ipſi diuiti, quippe qui laudatur interim, ac felix eſſe prædicatur. Cæterum tibi videtur, de vita ipſa, deque omni fortuna tum certamen eſſe paratum, propterea quod tibi venit

venit in mentem, idque meritò, futurum vt te alius nemo ſit admiſſurus, ſi prius ab hoc reiectus ac repudiatus videare. Interim in varias curas diſtraharis oportet: dum inuides ijs, qui pariter ex æquo tecum examinantur. Finge enim & alios eſſe, qui eiuſdem fortunæ tibi ſint competitores; te verò tibi videri cuncta parum abſolutè reſpondiſſe, metuentem interim ſimul & ſperantem, ac miſerè de illius vultu pendentem: qui ſi quid parum probet eorum quæ dixeris, periſti. Sin arridens auſcultat, hilareſcis & ſpe bona fultus conſiſtis. Porrò conſentaneum eſt, eſſe non paucos, qui tibi aduerſentur, atque alios in tuum locum velint inducere. Horum vnuſquiſque clanculum velut ex inſidijs in te iaculatur. Iam verò illud conſidera: quale ſit virum promiſſa barba, cana coma, examinari, nunquid boni rei didicerit, & alijs quidem didiciſſe videri, alijs ſecus. Superior interim vita, & omnis anteacta ætas tua curioſius diſquiritur. Quod ſi quis aut ciuis inuidia, aut vicinus leui quapiã de cauſſa prouocatus, te deferat, & adulterum dicat, vel pæderaſten: is protinus, iuxta vetus illud prouerbium, ex Iouis tabulis teſtis.

4. *Competitorum inuidia & delationes.*

Porrò ſi pariter omnes benè de te prædicent, ſuſpecti, leues, ac largitione redemti videbuntur. Nam admodum omnia tibi cõſtent oportet: Nihil prorſus ſit, quod tibi queat obſiſtere, alioqui nunquam obtinueris.

Age ſanè, hoc quoque contigit, ac bona quapiam fortuna cuncta tibi feliciter ceſſerunt, & probauit ipſe doctrinã tuam, & amicorum præcipui, quibúſq; ille huiuſmodi in rebus plurimam habet fidem, nõ dehortantur. Ad hæc vult etiam vxor. Non referatur domus præfectus, neque item diſpenſator. Nemo tuam inſimulauit vitam, dextra omnia, & omni ex parte bene promittunt ſacra. Viciſti igitur, ô fortunate, & coronatus es olympia. Quin Babylonem magis cepiſti, aut Sardium arcem occupâſti. Habebis copiæ cornu, & gallínaceum lac emulgebis: iam ſanè par eſt, vt aliquando præmia capias, maxima videlicet, & quæ laboribus tantis reſpondeant, ne corona tua frondea duntaxat ſit, ſimul vt merces haudquaquam contemnenda præſtituatur, eaqué commodè ad vſum citraque negocium perſoluatur, vtque reliquus item honos tibi prętер miniſtrorum vulgus ſuppeditetur. Cæterum

à la-

à laboribus illis, à luto, à cursitationibus, à vigilijs, in ocium te recipias, vti, id, quod vulgo solent optare mortales, porrectis pedibus dormias, nihilque iam facias prę-ter ea sola, quorum gratia primum recep-tus es, & in quę conductus: ita enim consentaneum fuerat Timocles, neq; ingens malum erat futurum, si quis subdita ceruice ferat iugum, leue nimirum, & portatu facile, quodq; est omnium maximum, auro illitum.

Atqui longe secus res habet, imo nihil horum reperietur. Siquidem in medijs ipsis id genus conuictibus, sexcentæ res accidunt, viro ingenuo neutiquam tolerandæ. Quæ quum audieris, ipse tecum ordine reputato, num quisquã ea perpeti queat, cui quidem cum eruditione vel minimum cõmercij fuerit. Exordiar autem, si videtur, à primo conuiuio, vnde consentaneum est, te consuetudinem illam auspicaturum.

II. Quæ in ipsa Aula receptis iam toleranda sint.

Primum igitur, adest tibi quispiam, qui te iubeat ad conuiuium accedere, famulus non incomis, qui tibi prius placandus, datis in manum (ne videaris inciuilis) vt minimum quinque drachmis. At ille accissans, seq; quum maximè cupiat,

Conuiuia aulica.

 cupere

cupere diſſimulans: Apage, inquit, Egóne quicquam abs te? Addit & illa, abſit, Dij prohibeant. Tãdem flectitur atq; obtemperat ac diſcedit, te latè diducto rictu ſubſannans. Tu porrò nitida ſumpta veſte, mundiſſimeq́; cultus, lotus accedis, ſolicitus interim, ne prior alijs aduenias: nam id inurbanũ, quemadmodũ poſtremũ venire, graue. Proinde media inter vtrunq; obſeruata oportunitate ingrederis, teque ſane quã honorificè excipiunt. Tũ arrepta manu te quiſpiã iubet accumbere, paulò ſupra diuitẽ, inter duos ferme veteres amicos. At tu perinde atq; in Iouis ędes veneris, nihil non admiraris, & ad omnia, quæ geruntur, ſuſpenſus inhias, ꝓpterea quod noua tibi atq; inuiſa ſint cuncta. Interim familia te ſpectat, omnesq́; qui præſentes ſunt, quid agas obſeruant. Neque verò ea res curæ non eſt ipſi diuiti, quippe qui famulis aliquot præmonitis negotiũ dederit, vt oculis obſeruent, quemadmodũ te geras in pueros aut in vxorem, nũ ſubinde ex obliquo reſpectes. Ac reliqui quidẽ cõuiuæ, ſimulatq; te vident propter imperitiam ad ea, quæ fiunt, attonitũ, ac ſtupefactum, derident clanculũ, coniectantes te nunquã antea apud alium quempiam cœnâſſe,

cœnâsse,nouumq́; tibi esse,vt mantile apponatur.Proinde,sicuti verisimile est,prę hęsitãtia sudes oportet,ac neq; cum sitias, audeas potũ poscere, ne vinosus videare: neq; varijs appositis obsonijs, & in ordinem quendam extructis, scire posses, cui prius aut posterius manum admoueas. Quare ad eum; qui proximus accumbit respectes necesse est, atq; eundem imitatus,conuiuij rationem & ordinem discas. Alioqui anceps sedes,& varians, animoq́; pœnitus ꝑturbato, & ad omnia, quæ illic geruntur obstupescent.Atq; interim quidem, diuitis admiraris felicitatem ꝓpter auri vim & eboris, tantasq́; delicias. Interim tuam ipse deploras infelicitatem, qui quum nullius sis rei, tamen viuere te credas. Nonnunquam & illud in mentem venit, fore vt admirãdam & expetendam quandam viuas vitam, quippe qui sis omnibus delicijs illis fruiturus, cunctorumq́ue ex æquo futurus particeps. Arbitraris enim te semper bacchanalia festa celebraturum. Quin & Adolescentuli formosi præministrantes, ac silentio arridentes, suauius in posterum hoc vitæ genus pollicentur, vt Homericum illud nunquam desinas in ore habere.

Haud

Haud vicio verti debet si Troia pubes,
Armatiq; simul Danai, sub Marte laborum
Pondera tanta ferant,

Ob tantam videlicet felicitatem. Accedunt ad hæc inuitatiunculæ ad bibendũ. Ac postulato perquam ingenti scypho quispiam, præbibit tibi, præceptorem, aut aliud quiddam denique te appellans. At tu recepto scypho, quid vicissim oporteat respondere, propter eiusmodi morum imperitiam ignoras, iamq́ue rusticanus, & inelegans esse videris. Cæterum ea propinatio multorum veterum amicorum inuidiam in te concitauit, è quibus nonnullos iamdudũ tuus accubitus clanculum vrebat, quod modo cum adueneris, ijs anteponare, qui multorum annorum seruitutem exhauserint. Protinus itaque talia quædam de te inter illos dicta feruntur: Illud scilicet malis nostris deerat, vt etiam ijs qui nuper in familiam cõmigrârũt, posthabeamur. Et solis Græculis patet vrbs Romana. Et quid habent, quamobrem nobis debeant anteponi? Num mirificam quandam vtilitatem adferre videntur, quum verbula quædam misera dicunt? Rursus alius, hæc: An non vidisti, quantum biberit, quemadmodum

cibos appositos auide corripiens deuorârit? Homo inelegans, ac fame enectus, qui ne per somnium quidem vnquã fuerit albo pane saturatus, multo minus alite Numidica, aut Phasiano, è quibus nobis vix ossa reliqua fecit. Porrò tertius, fatui, inquit, priusquam quinq; abeant dies, videbitis hunc nihilo pluris fieri quàm nos. Nam nunc quidem non secus atque calcei noui solent, in precio est, & habetur carus: verum vbi crebro iam fuerit calcatus, lutoq́; deformatus, tum miserè sub lecticam abijcietur, cimicibus, quemadmodum nos, oppletus. Atque inter illos talia permulta de te iactantur. Ex quibus aliquot iam tum etiam ad calumniandum insimulandumq́ue te incitantur. Omne igitur illud conuiuium tui plenum, ac plerique de te sermones. Tu verò propter insolentiam atq; insuetudinem plus quam sat est, hauris vini tenuis & acris, eoq́ue iamdudum aluo tibi cita discrutiaris: verum neque decorum tibi ante alios è conuiuio discedere, neque rursum manere tutum.

Noui Aulici, & noui calces, cari.

At producta interim in longum potatione, dum sermo alius ex alio nascitur, dum spectacula alia post alia proferuntur in con-

Potationes aulica.

in conuiuium (nam vniuersum fortunæ suæ strepitũ tibi cupit ostentare)non mediocriter discruciaris, cui non liceat,neq; videre quæ geruntur, neque auscultare,si quis voce cytharáve canat egregiè dilectus adolescentulus. At laudas tamen inuitus: cæterum animo illud optas, vt aut terræmotus repens ortus ea cuncta discutiat,aut incendiũ aliqđ renuncietur, quo simul cõuiuiũ tandẽ aliquãdo dirimatur.

Habes amice primũ illud scilicet & suauissimũ conuiuiũ, quod mihi quidẽ haud quaquam suauius sit cepis,candidoq́; sale, libere quũ velim ex his, & quantũ velim, edenti. Verum vt ne tibi commemorem ructus acidos, qui deinde sequũtur, vt ne nocturnos vomitus, mane vobis erit de mercede pacto transigendum, quantum & qua anni parte oporteat accipere.

III. *Pactio mercedis.* Ergo præsentibus duobus aut tribus amicis,accersito te,& cõsidere iusso, sic loqui incipit: Facultates nostræ cuiusmodi sint,iam perspicere potuisti,quã nullus in his fastus,sed citra ostentationem,moderata ac popularia omnia,sed mediocria omnia ac plebeia.Sic autem animũ inducas velim, vt existimes omnia nobis fore cõmunia.Nam ridiculum profecto,si quum charis-

charissimã possessionũ mearum partem, puta meam ipsius vitam, aut (per Iouem) liberorum etiam (si fors illi liberi fuerint erudiendi) tibi credam, non aliarum item rerum te mecum ex æquo dominum ac possessorem existimem. Cæterum quãdo certi quippiam est præfiniendũ, equidem video vitæ tuæ frugalitatem, & animum paucis contentum. Neque non intelligo haud mercedis adductũ spe, te in nostram venisse familiam, verum aliarum gratia rerum, puta nostræ in te beneuolentiæ caussa, tum honoris, qui tibi præter omnes continget. Attamen præfiniendũ est aliquid. Quin ipse magis quod videbitur statuito, habita ratione, vir amicissime, munerum etiam illorum quæ quotannis festis diebus à nobis accepturus videris. Neque enim vel istà nobis fuerint neglectui futura, etiam si nunc hæc pactione non complectamur. Scis aũt complures per annũ eiusmodi munerum occasiones incidere. Horum igitur habita ratione, moderatius nimirũ præmium nobis præscribas. Præterea decet etiam vos homines eruditos, pecuniam negligere. Hæc ille dicens, totumque te varia spe labefactans, mitem sibi ac tractabilem reddidit.

Tu

Tu porrò, qui dudum talenta, ac multa nūmûm millia somniaras, solidos agros, & familias, sentis quidem tacitus apud te hominis sordes ac parsimoniam: nihilominus blanditur tibi pollicitatio tamen, atq; illud: Communia futura sunt omnia, ratum & verum fore arbitraris, ignarus eiusmodi dicta, summis è labijs, non imo è corde profecta. Tandem præ pudore ipse statuendi ius defers. Verum ille facturum sese negat.

Cæterum ex amicis præsentibus quempiam in eo negotio veluti medium intercedere iubet, qui salarij modum pronunciet eum, qui neque ipsum grauet, vt cui plurimas tum alias in res, magis his necessarias, sumptus sit faciendus, neque rursus ei, qui laturus est, sit omnino indignus. Atq; is seniculus quispiam, diuitis æqualis, vna cum illo à pueris adulando educatus: Eho tu, inquit, num inficias ire potes, quin vnus sis, qui hac in vrbe viuunt, omnium fortunatissimus, cui primum contigerit, quod plurimis miserè cupientibus, vix à fortuna dari possit: nempe vt in huius hominis consuetudinem admittaris, vt communes penates habeas, vt in familiam, inter Romanos primariam, recipiaris?

piaris? Id nimirum tum Crœſi talenta, tum Midæ diuitias ſuperat, ſi modo modeſtus eſſe nôris. Equidē non paucos noui magni nominis viros, qui cupijſſent, etiam ſi quid vltro dandum fuiſſet, gloriæ duntaxat cauſſa, cum iſto viuere, & familiares apud hunc atque amici videri. Quapropter haud inuenio, quibus modis tuam prædicem felicitatem, qui quidem ad hanc tam expetendam fortunam, etiam præmio addito admitteris. Proinde mihi ſatis eſſe videtur, niſi plane es inſolens, ſi Tantum accipias: ſimulque pronunciat, ſane minimū quiddam, præſertim ad ſpes illas tuas: attamen boni conſulas neceſſe eſt. Neq; enim iam poſſis effugere, quum intra retia tenearis. Frenum igitur recipis, muſſitans, ac diſſimulans, ac initio quidem non magnopere illi reluctans, facileque ſequeris, vt quod non admodum te torqueat, neq; ſtringat, donec illi tandem paulatim aſſueueris:

Tum verò ij, qui foris ſunt mortales, hoc ipſo nomine tuam fortunā admirantur, quod te conſpiciant intra cancellos verſantem, ac nullo prohibente introëuntem, prorſus, præclaris illis opib⁹ delicijſque domeſticum quendam ac familiarem

esse factum. At ipse videre nondum potes, quamobrem illi te felicem existimēt, nisi quod gaudes tamen, teq́ue ipse fallis, semper futura meliora fore existimans.

Cæterum contra atq; sperâris, euenit, &, quemadmodum adagio dicitur, iuxta Mandrabuli morem negocium procedit, in singulos (vt ita dixerim) dies, deterius ac retro relabens. Vnde paulatim, velut in luce dubia, tum demum dispiciens intelligere incipis, aureas illas spes, nihil aliud fuisse, quam ampullas quasdam inauratas, labores autem esse graues, feros, ineuitabiles, ac perpetuos. Sed quinam isti sint, forsitan me rogabis. Neq; enim video in quies, quid in hac consuetudine sit adeo molestum, neque intelligo ista quæ commemoras grauia atq; intoleranda.

XIII. *Seruitus consequens cōditionem acceptam.*

Audi igitur vir egregie, non molestiam modo negocij perpendens, verum fœditatem, humilitatem, prorsusq́; seruilitatem, vel præcipuè interim considerans. Principio memineris ex eo tempore, te iam neque liberum, neq; ingenuum posse videri. Noueris enim te hæc omnia, genus, libertatem, progenitores, ante limen relinquere, quum in huiusmodi seruitutem temetipsum addicens in ædes ingrederis

deris. Siquidem libertas tibi comes ire recuſarit, ad vitam tam indignam, tam humilem te conferenti. Seruus itaq; (tametſi nomine ipſo grauiter offenderis) ſeruus inquam, velis nolis, futurus es: neq; vnius ſeruus, verum complurium, operamq́ue ſeruilem præſtare cogeris, obſtipo capite, à diluculo in veſperam vſque, idq́ue mercede vili atque indigna. Adde, quod ne placebis quidem admodum, neque domino ſatisfacies, neque ab illo magnifies, vt qui non à puero fueris ad ſeruitium inſtitutus, ſed ſero didiceris, atque ætate multum aliena cœperis ad id erudiri. Excruciat autem te priſtinæ libertatis memoria, animo recurſans, facitq́ue vt interdum reſilire conêre, reluctérisq́ue, atque ob id ipſum fit, vt ſeruitus tibi moleſtior accidat. Niſi forté illud ad libertatem ſufficere putas, quod non fueris Pyrrhia, aut Zopyrione patre prognatus: aut quod non ſic, vti Bithynicum aliquod mancipium, vociferante præcone, diuendaris. Atqui tum vir egregie, cum inſtante nouilunio, Pyrrhijs & Zopyrionibus immixtus, manum itidem, vt alij ſeruuli, protendis, capisq́; quodcunq; illud tandẽ eſt, quod datur, hæc videlicet eſt auctio.

Nam prȩcone nihil opus erat homini, qui ipſus ſui fuerit præco, quique ipſe vltrò ſibi multo tempore dominum ambierit.

Age iam, ô ſceleſte, (cur enim non dicam, præſertim in eum, qui ſe Philoſophũ eſſe dicat?) ſi quis te pirata inter nauigandum captum, aut ſi quis prædo in ſeruitutem tradidiſſet, teipſum deplorares, tanquam indignã fortunæ iniuriam patientem. Aut ſi quis manu iniecta, te duceret in ſeruitutem aſſerens, leges inclamares, omnia faceres, acerbè ferres, &, ô terra, ô Dij, magno clamore vociferareris. Nunc verò, quum ipſe te, ob paucos obulos, id ætatis, in qua etiam ſi ſeruus natus eſſes, tamen tempeſtiuum fuiſſet, iam ad libertatem aſpirare, cum ipſa virtute ac ſapientia vltrò adductum vendideris, nihil illa reueritus, quæ permulta ab egregio Platone, Chryſippo, Ariſtotele diſſeruntur, quum libertatem laudant, ſeruitutem damnant, an non te pudet, quum inter homines aſſentatores, & emtitios, ac ſcurras verſans, ex æquo cum illis exiſtimaris, quum in tanta Romanorum turba, ſolus peregrino in pallio verſaris, quumq; Romanam linguam perperam ac barbarè ſonas:

ſonas: Præterea, quum agitas conuiuia tumultuoſa, magna hominum turba conferta, quorum pleriq; collecticij quidam ſunt & improbi? Atque inter hos laudas odioſè, bibiſque præter modum: deinde mane ad tintinabulum expergefactus, diſcuſſa ab oculis dulciſſima ſomni parte, vna ſurſum ac deorſum circumcurſas, heſterno luto etiamdum tibijs adhærente? Vſq; adeóne te lupini, aut holerum agreſtium tenuit penuria? Vſque adeo tibi defuerunt fontes frigida manantes aqua, vt per deſperationē ad iſta deuenires? Haud puto. Quin potius palam eſt, te, non frigidę aquæ, neque lupini, ſed bellariorum, atque obſoniorum, viniq́ue odorati cupiditate captum eò veniſſe. Quæ dum lupi piſcis in morem auidius appetis, tuo merito euenit, vt hamus tibi fauces tranſfixerit. Itaq; præſtò ſunt huius intemperantiæ, gulæq; autoramenta. Ac perinde atque ſimia, à truncto reuinctus collo, reliquis quidem omnibus riſui es: at ipſe tibi delicijs affluere videris, cui contigerit, affatim expleri caricis.

Cæterum libertas, ingenuitas, vnà cum ipſis gentilibus ac tribulibus, hæc nimirum euanida cuncta, atq; iſtarum rerum

ne memoria quidem vlla; quanquam hoc quoque ferendum, ſi vita iſta cum hac turpitudine duntaxat eſſet coniuncta, quod è libero ſeruum videri facit, non labores etiam accederent, cum illa ſeruorum colluuie communes. Sed vide, num quæ tibi imperantur, leuiora ſint his, quæ Dromoni aut Tibio mandantur. Nam doctrinæ quidem, cuius rei cupiditate ſimulârat te in familiam ſuam accerſiſſe ſeſe, perquam exigua illi cura eſt. Quid enim (vt dici ſolet) commercij aſino cum lyra? An non vides videlicet, quam miſerè macerentur immodico deſiderio, vel Homericæ ſapientiæ, vel Demoſthenicæ gratuitatis ac vehementiæ, vel Platonicæ ſublimitatis? Quorum, me hercle, ex animis ſi quis aurum, argentum atq; harum rerum curas tollat, nihil fuerit reliquum, præter faſtum, mollitiem, laſciuiam, luxum, ferocitatem, imperitiam. Atque ad iſta nihil prorſum opus te. Verum quoniam tibi barba ingens propendet à mento, quoniamque vultu ipſo graue quiddam & venerandum præ te fers, tum quia pallio Græcanico decenter amictus es noruntque iam omnes te Grammaticum eſſe, ſeu Rhetorem, ſeu Philoſophum, pul-

pulchrum ille ſibi pũtat, vt & eiuſmodi quiſpiam anteambulonum ſuorum pompæ permixtus eſſe videatur. Futurum enim hac re, vt Græcanicarum diſciplinarum ſtudioſus, reliquæq́ue omnis doctrinæ neque negligens neque rudis eſſe putetur. Vnde fit vt in periculum, vir egregie, venias, ne non tam ob admirandas illas artes, quin magis ob barbam palliumq́ue conductus eſſe videare: proinde vt perpetuus apud illum conſpiciaris oportet, neq; abſis vnquam, verum vt diluculo relictis ſtratis, in famulicio temet exhibeas conſpiciendum, neq; locum in acie deſeras.

Porrò ille iniecta nonnunquam tibi manu, quicquid forte in mentem inciderit, de hoc tecum nugatur, obuijs oſtentans, quàm ne per viam quidem ingrediens, incurius ſit literarum, quin vt illud ipſum etiam otium, quod inter inambulandum datur, in re quapiam honeſta collocet. At tu miſer interim, nunc curſim, nunc gradatim, nunc ſcanſim plerunque, nunc deſcenſim (nam ſcis huiuſmodi eſſe vrbem) obambulans, tum ſudas, tum ſpiritum anhelus trahis. Deinde illo intus cum amico

quopiam, ad quem acceßit, confabulante, quum tibi interim locus desit, vbi vel aßidere queas, librum videlicet stans in manum sumis, quoque fallas tædium, legis. Post vbi ieiunum te sitientemque nox occupauit, incõmode lotus, intempestiuè, puta nocte fermè concubia, ad cœnam accedis, haud perinde deinceps in precio habitus, neque conspiciendus his qui adsunt. Verum si quis aduenerit recentior, tu post tergum reijceris. Itaque in angulum aliquem abiectißimum retrusus, accumbis, testis duntaxat ac spectator eorum, quæ apponuntur, canum ritu ossa circumrodens, si fors ad te perueniat, vel aridum maluę folium, quo reliqua inuoluunt, si fastidiatur ab ijs, qui supra te accumbunt, præ fame libenter arrepturus.

V.
Sordes quotidiani victus, summo cum contentu coniũcta.

Audi iam & aliud cõtumeliæ genus. Quid quòd ne ouum quidem soli tibi apponitur. Neque enim conuenit, vt tu semper eadem requiras, quæ hospitibus atque ignotis ministrantur, quãdoquidem hæc tua sit inscitia, atque inurbanitas. Neque auis eiusmodi tibi apponitur, qualis alijs, verum diuiti illi pinguis & succulenta. tibi pullus dimidiatus, aut palumbus aliquis aridus atque insipidus, non auis videlicet,

delicet, ſed manifeſta contumelia ludibriumque. Neq; verò raro fit, vt ſi quando deſit alibi, miniſter repente te inſpectante ſubmouens ea, quæ tibi erant appoſita, alijs apponat, illud tibi ad aurem immurmurans, tu profectò noſter es. Quod ſi quando interim diſſecetur, vel porca fœta, vel ceruus, aut ſtructorem tibi modis omnibus propitium habeas oportet, aut certè Promethei partem feres: nempe oſſa adipe circumtecta. Nam quod ei, qui ſupra te accumbit, patina ſinitur aſtare, quoad ſaciatus repudiet, te contrà tam celeriter prætercurrat, quis tandem iſtuc ferat, qui modo ſit ingenuus, cuique tantum inſit bilis, quantum vel ceruis adeſt? Atque illud equidem nondum dixi, quod reliquis ſuauiſſimum ac vetuſtiſſimum vinum bibentibus, tu ſolus malum quoddam & pingue bibis. Proinde illud ſemper curas, vt auro argentóve bibas, ne colore prodente, palàm fiat, te vſque adeo contemptum neglectumque eſſe conuiuam: quanquam bene tecum ageretur, ſi vel illud ipſum ad ſatietatem vſque bibere liceret. At nunc vbi crebrius popoſceris, miniſter audiſſe diſſimulat.

Adde iam multas interim, & alias eſſe

res, quæ te discrucient, imò nihil esse fermè, quod non sit acerbum, maximè quum tibi cinædus aliquis antefertur, quin pluris te sit is, qui saltandi docet artem, qui iocos Ionicos contexit, Alexandrinus quispiam homunculus. Nam qui tibi speres tu vt in accubitu æqueris ijs, qui voluptates & amatoria subministrant? qui litterulas in pectore gestant? Proinde in obscuro quopiam conuiuij latibulo tectus, præque pudore abstrusus, suspiras, vti conіectandum est, teque ipsum deploras, ac fortunam incusas tuam, quæ tibi ne pauxillulum quidem lepôris ac venustatis asperserit. Ac prorsus ita videris affectus, vt optes Poëta fieri, vt amatorias conscribas cantiones, aut si id non contingit, vel eam assequi facultatem, vt possis ab alijs conditas dignè canere. Vides enim quibus in rebus situm est, vt quis efferatur, plurimique fiat. Quin & illud ferre queas, vt magi quoque, aut arioli personam (si necesse sit) induas, ex horum genere, qui amplas hæreditates, qui imperia, qui cumulatas opes pollicentur. Quandoquidem hos quoq; vides non mediocriter à diuitibus amari, plurimique fieri. Eoq;
vel

vel vnum quodlibet horum fieri percupias, vtine prorſus reijculus, atq; inutilis appareas. Atqui ne ad iſta quidem docilis es infelix: proinde ſubmittas te oportet, muſſitéſque ac tacitus feras, clam apud te plorans, ac neglectui habitus. Etenim ſi te famulus aliquis ſuſurro deferat, qui ſolus omnium non laudaris puerum heræ ſaltantem, aut cythara canentem, iſta ſcilicet ex re non leue diſcrimen impendet. Quapropter terreſtris in morem ranę ſitiens vocifereris neceſſe eſt, id operam dans, vt in laudantium numero inſignis ac præcipuus appareas.

Quin ſæpicule, ſilentibus reliquis, tibi ficta quædam laus proferenda, quæque multam ſapiat aſſentationem. Iam vero magnopere ridiculum eſt, cùm eſurias interim ſitiáſque, vnguentis collini, ac vertice geſtare coronam. Siquidem id temporis non diſſimilis videre ſepulchrali columnæ, vetuſti cuiuſpiam cadaueris, quæ geſtare ſolet ea, quæ manibus inferuntur. Nam huic infuſo vnguento, impoſitaque corona, ipſi & bibunt & edunt apparatas epulas.

VI. *Adulatio atque aſſentatio ridiculorum.*

Porrò ſi etiam Zelotypus quiſpiam fuerit, ſintque illi vel pueri formoſi, vel vxor puella

VII. *Pericula & metus.*

puella, neq; tu prorſus à Venere gratijſq; fueris alienus, profecto non ſatis tuta res, neq; periculum negligendum: propterea quod Regis plures ſunt oculi, qui quidem non vera ſolum vident, ſed ſemper veris aliquid addunt ad cumulũ, ne conniuere videantur. Quas ob res vultu demiſſo tibi eſt accumbendum: quemadmodum in Perſicis conuiuijs fieri mos eſt, verito, ne quis Eunuchus ſentiat te in concubinam aliquam conijcientem oculos: Moxque alter Eunuchus, cui iam dudum arcus in manu tenſus eſt, quia videris quæ videre nefas, inter bibendum, malam iaculo transfigat.

VIII. *Pœnitentia vera, ſed ſera.*

Iam peracto conuiuio, vbi paululum dormieris ad Galli cantum expergefactus: ô me miſerum, ô infortunatum, cuiuſmodi quondam conuictus, quos amicos reliqui: tum vitam tranquillam & ocij plenam, ſomnum quem meapte cupiditate metiri ſoleo, deambulationes liberas, atque ex his in quale barathrum memet præcipitem dedi? Et, Deum immortalem, cuius tandem rei gratia? Aut quodnam iſtud magnificum præmium? At ne fieri quidē potuit, vt mihi vnquam alias plures commoditates ſuppeterent, quàm

quàm tum ſuppetebant. Tum autem accedebat libertas, atque omnia pro meopte arbitrio faciendi facultas. Nunc porrò iuxta id quod prouerbio iactatum eſt: Leo chordula vinctus: ſurſum ac deorſum circumferor. Quodque omnium eſt miſerrimum, maximeque deplorandum, neque efficere poſſum, vt placeam, neque gratiam emereri queo: propterea quod harum rerum ſum imperitus ac rudis, maximè compoſitus collatúſque cum his, qui hæc velut artem profitentur. Proinde iniucundus ſum, ac neutiquam aptus conuiuijs, quippe qui ne riſum quidem concitare norim. Quin etiam ſentio, me non raro moleſtum eſſe & importunũ, quum adſum, maximè, quum ipſe ſeipſo feſtiuior eſſe conatur, nam illi tetricus videor. In ſumma, nullam inuenio viam, qua illi accommodem. Etenim ſi meam ipſius authoritatem ac ſeueritatem tueri pergo, iniucundus videor, ac propemodum horrendus, ac refugiendus. Contra ſi riſero, vultumque, quam poſſum maximè ad hilaritatem compoſuero, faſtidit ilicò ille, & auerſatur. Ac prorſus tale quiddam mihi videtur, quale ſit, ſi quis in perſona Tragica comœdiam agere tentet. Poſtre-

mo quam tandem aliam vitam mihi viuam demens, posteaquam hanc præsentem alteri vixerim?

Dum hæc tecum loqueris, iam sonuit tintinabulum, iamque ad eadem tibi redeundum est, obambulandum, standum, sed ceromate inunctis ante fœmoribus poplitibúsque, si modo velis par esse certamini, præmioq; tollendo idoneus. Deinde conuiuium idem & eadē apparatum hora. Iamque adeo diuersa viuendi ratio superiorique contraria, tum insomnia, sudor, defatigatio, paulatim quasi suffossis cuniculis inducunt vel tabem, vel pulmonis exulcerationem, vel intestini tormina, vel egregiam illam podagram. Reluctaris tamen sedulò ac frequēter, quum valetudo poscat, vti lecto decumbas, ne hoc quidem licet, eò quod assimulari morbus, quo munia officiaq; iusta defugias, existimatur. Hinc præter omneis perpetuo palles, semperque iam iam morituro videre similis.

IX. *Molestiæ Foris perferendæ.* Et hactenus quidem de his, quæ domi ferenda sunt: quod si quando fuerit peregrinandum (vt ne interim referam alia incommoda) sæpe fit vt pluuio cœlo, vbi postremus veneris (nam is locus tibi sorte con-

te contigit) vehiculum opperiaris, donec nullo iam reliquo loco vbi diuerseris, proximè coquum, aut heræ computorem te reclinant, ne stipulis quidem affatim substratis.

Neq; verò tibi referre grauabor, quod mihi Thesmopolis iste Stoicus narrauit sibi accidisse, rem profecto nimis quã ridiculam, quæ tamen eadẽ possit & alij cuiuis accidere. Conuiuebat enim cum opulenta quadam ac delicata muliere ex illustribus istis & vrbanis. Eam quum aliquando peregrè proficisceretur (nam id primum aiebat sibi maximopere deridiculum accidisse) in curru sibi, viro nimirum Philosopho, adiunxisse cinædum quempiam, picatis cruribus, derasa barba. Quem illa honoris (vt conijcio) gratia secum ducebat. Quin nomen quoq; cinædi cõmemorabat, aiebat enim Chelidonium vocari. Iam primũ illud cuiusmodi fuerit, vide: iuxta virũ seuerum tetricumq;, tum senem canoque mento (scis autem quam profundam ac venerabilem barbam habuerit Thesmopolis) assidere nihili hominem & effœminatum, picturatis oculis, lubrico vultu, fracta ceruice, nõ chelidonem, (per Iouem) id est, hirundinem,

sed

ſed vulturem magis reuulſis barbæ plumis. Quod ni magnopere illum fuiſſet deprecatus ne faceret, futurũ fuiſſe vt flammeum etiam in capite geſtans aſſideret. Prҿterea autem perpetuo hoc itinere moleſtias innumerabiles pertuliſſe ſeſe, illo cantillante, garrienteq́ue, demum (niſi idem hominem coercuiſſet) in rheda etiam ſaltante. Addebat ſecundo loco, tale quiddam ſibi fuiſſe mandatum. Accerſito illi mulier, Theſmopoli inquit, ita tibi Dij benefaciant, magnum quoddam officium abs te requiram, quod caue recuſes, neque expectes, vt quicquid te ſim rogatura ſtudioſius. Atq; hoc (vt eſt credibile) omnia ſe facturum pollicito, hoc, inquit, te rogo, quandoquidem video te virum probum, diligentem, & amantem, Çaniculam, quã nôſti, Myrrhinam in vehiculum recipe, eamq́; mihi ſerua, curans ne quid illi deſit. Nam miſera grauida eſt, atq; adeo propemodum iam propinqua partui. At iſti ſceleſti & immorigeri miniſtri, non dicam huius, ſed ne mei quidem ipſius magnopere rationem habent in peregrinationibus. Quare ne te putes mihi mediocre beneficium facturum, ſi chariſſimam mihi iucundiſſimamq́ue caniculam

niculam seruaris. Recepit Thesmopolis, quum illa tantopere rogaret, ac propemodum etiam fleret.

Porrò spectaculum erat supra modum ridiculum. Canicula è pallio prominens prospectánsque paulo infra barbam ac subinde immeiens (tametsi hæc quidem Thesmopolis reticuit) ac gracili voce latrans (huiusmodi enim catellæ iam in delicijs sunt) neq; non Philosophi mentum oblingẽs, maximè si quid pridiani iuris inhęreret. Porrò cinædus assessor ille, quum non insulsè super cõuiuium dicteria quædam iecisset in eos, qui aderant, ac deniq; & ad Thesmopolim vsque dicacitas peruenisset; de Thesmopolide, inquit, vnum hoc possum dicere, eum è stoico cynicum iam nobis esse factum. Equidem caniculam etiam perperisse in Thesmopolidis pallio.

Huiusmodi delicijs illudunt, vel (vt verius dicam) huiusmodi contumelijs ac ludibrijs tractant eos, qui cum ipsis viuunt, paulatim eos cicures ac mansuetos ad ferendas contumelias reddentes. Præterea autem & charcharorum Oratorem noui, qui iussus super cœnam declamabat, neutiquam ineruditè (per Iouem) imò grauiter

uiter & abſolutiſſimè, ac laudabatur interim ab illis bibentibus, quum non ad aquæ modum, ſed ad vini amphoram oraret. Atque eam moleſtiam, ob ducentas drachmas perpeti ferebatur.

X. *Adulatio Dominorum ſciolorum, &c.* Verum hæc quidem fortaſſis vtcunq; toleranda. Porrò ſi diues ipſe aut Poëticus fuerit, aut Hiſtoricus, qui ſua ipſius ſcripta in conuiuio recitare gaudeat: tum verò maximè futurum eſt, vt diſcrucieris ac dirumparis. Nempe quum admirari, quum aſſentari, quum nouos quoſdam laudandi modos comminiſci neceſſe habes. Sunt autem qui & formæ nomine ſtudeant admirandi videri. Eos nunc Adonidas, nunc Hyacinthos appelles neceſſe eſt, etiamſi illis naris nonnunquam cubitali hiet ſpecu. Quod ni laudaris, protinus in lapidicinas Dyoniſiacas aſportaberis, tanquam qui illi tum inuideas, tum inſidieris, maleque velis. Ad hæc & ſapientes & Rhetores ſint neceſſe eſt. Quod ſi etiam ruſticè quippiã dixerint, tum verò iuxta illud, quod dici ſolitum eſt, Atticæ atq; Hymetti plenam orationem videri volunt, atq; in legem abire, vt deinceps ita loquantur homines.

Quanquam quæ viri faciunt, ferri forſitan

tan queant. At verò mulieres (nam mulieribus etiam illud ſtudio eſt, vt doctos aliquot in ſuo conuictu conductitios habeant, quique ſeſe mercede affectentur) quandoquidem hoc quoq; ad reliquum cultum elegantiamq́; pertinere putant, ſi dicantur eruditę, ſi Philoſophi, ſi carmina componere Sapphicis haud multò inferiora, ob hæc ſanè hæ quoq; conductitios Rhetores, Grammaticos, Philoſophos circumferunt. Hos autem audire ſolent (id quod ipſum eſt ridiculum) tum temporis, quum vel comuntur, aut capillos in orbē religant, vel in conuiuio: nam aliàs non ſuppetit illis ocium. Porrò ſæpenumero fit, vt interim dum Philoſophus quippiam diſſerit, interueniens ancilla, literulas ab adultero porrigat. Ac præclari illi de pudicitia ſermones intermittūtur, opperientes donec illa reſcripſerit adultero, atq; ita redeat ad auditionem.

Dominarum laſciuientium.

XI. *Munerum compenſatio.*

Porrò ſi quando poſt multum temporis, inſtantibus ſaturnalibus, aut panathenæis, miſera quæpiam vmbella tibi mittatur, aut tunicula ſemiputris ac detrita, tum deniq; plurima miſſitentur oportet. Atq; aliquis qui ſtatim ſubauſcultârit, herum id facere deſtinantem, præcur-

rit, ac primus rei index, abiénſq; non exiguum precium aufert qui renunciârit. At manè plus tredecim te adeunt idem apportantes nuncij: quorum quiſque commemorat quam multa dixerit, quemadmodum ſubmonuerit, quemadmodum adhortans commodiora ſubiecerit. Omnes itaque donati præmio diſcedunt, at non ſine murmure tamen, qui non plura dederis.

XII. *Mercedis exigendæ difficultas.* Porrò ſalarium ipſum ſex fermè obulorum. Idque ſi tu poſtules, grauis atq; importunus haberis. Proinde quo illud aliquando auferas, primum ipſi hero adulêris, ſupplέxque fias neceſſe eſt: deinde captandus & diſpenſatoris fauor, nam hoc quoq; quoddam eſt ſeruitutis genus. Neque verò negligendus is, quem in conſilium adhibet, neq; item amicus. Deinde quod acceperis, iamdudũ debebatur vel veſtiario, vel medico, vel cerdoni cuipiam. Vnde fit vt ſera atq; intẽpeſtiua, eóq; inutilia præmia tibi accedant. Cæterum inuidia ingens: Iamque etiam calumniæ quædam paulatim ſtruuntur in te, apud hominem, qui iam nõ inuitis auribus accipiat, ſi quid aduerſum te dicatur. Quippe qui perſpiciat te laboribus aſſiduis

iam

iam detritum,& ad obeunda munia famu latus claudicantem,atq; obaudientem,ac podagra ſubinde grauari.

XIII. *Exitus ac dimiſsio ignominioſa.*

Proinde poſteaquam id quod erat in te florentiſſimum decerpſit, æuique partem maximè frugiferam, ac præcipuũ corporis vigorem detriuit, iamq́; te lacerũ panniculum reddiderit, tum modis omnibus circũſpicit,in quod ſterquilinium te portatum abijciat, atq; alium perferendis laboribus idoneum, in tuum ſubſtituat locum, Ibi inſimulatus, vel quod puſionem illius tentaris, vel quod homo ſenex vxoris ancillam virginẽ vitiaris,vel alio quouis impoſito crimine,noctu obuolutus ac præceps datus extruderis, diſcedíſq; deſertus ab omnibus, atque omnium inops rerum optimam podagram vnà cum ſenecta comitem ducens. Cùm interim, quæ quondam ſciueris, tanto temporis ſpacio dedidiceris, tum ventrem culeo reddideris ampliorem, tibiq́; paraueris inexplebile quoddam & implacabile malum. Etenim gula ea,quibus aſſueuit,flagitat. Quæ cum negantur, indignatur. Adde quod præterea nemo te poſthac recepturus eſt in familiam, vtpote cuius iam præterierit ætas, quique ſimilis euaſeris equis.ſenio

 affe-

affectis, quorum, ne pellis quidem perinde vt aliorum animantium est vsui. Quin ex hoc ipso quòd eiectus es, calũnia quam potest proximè ad verisimilitudinẽ conficta, facit vt aut adulter, aut veneficus, aut aliud quippiam tale videaris. Nam accusatori vel tacẽti fides habetur. Tu verò Gręculus, moribus leuibus, & ad omne facinus facilis. Si quidẽ huiusmodi nos omnes esse ducunt, idq́; iure optimo: videor enim mihi caussam aduertisse, quãobrem eiusmodi de nobis obtineant opinionem. Nam pleriq; qui in familias accedunt, propterea quod alioqui nihil bonæ rei didicerunt, diuinationem ac maleficia profitentur, conciliationem amorum, abductiones in hostes, atq; id quum faciunt, doctos sese affirmant, pallijs amicti, barbisq; neutiquã contemnendis onusti. His rebus fit, vt non iniuria eandẽ de reliquis omnibus habeant opinionẽ, quando eos, quos præcipuos esse iudicant, videant tales. Maxime verò, posteaquã animaduerterint, quam sint in conuiuijs, reliquoq́; conuictu adulantes, quàm ad lucrum humiles ac seruiles: deinde eiectos eosdem iam oderunt, neq; id iniuria, ac modis omnibus adnituntur, vt eos funditus perdant.

dant,si quo modo possint. Verētur enim, ne cuncta illa vitæ suæ mysteria in vulgus efferant, quippe qui nihil non exactè nô-rint, quiq; illos nudos conspexerint. Ea res igitur illos malè angit.

Omnes enim similes sunt pulcherrimis istis libris: quorum aurei quidem vmbilici, purpurea foris pellis: cęterum intus aut Thyestes est, liberos in conuiuio comedens, aut Oedipus matris maritus, aut Tereus cum duabus pariter sororibus rem habens. Eiusmodi sunt & illi splendidi, cōspicuique. Porrò intus sub purpura varias occulunt Tragœdias. Quorum vnum quemq; si euolueris, explicuerísq;, fabulam non mediocriter longā reperies, Euripidis cuiuspiam, aut Sophoclis. Contra foris nihil nisi purpura splendida, aureiq; vmbilici. Harum itaq; rerum sibi conscij oderunt illos, atq; insidias parant, si quis penitus ab illis defecerit, qui eos probè cognitos depingat, qualésq; sint, euulget.

Iam verò libet mihi Cebetis, illius exemplo & imaginem quandam huius vitæ tibi depingere, vt eam contēplatus scire queas, num ex vsu tuo sit eam adire. Equidem magnopere cupiam vel Apellem quempiam, vel Parrasium, vel Æthionem, vel

Euphranorem ad hanc depingendam tabulam adhibere. Verum quoniam fieri potis non est, vt aliquem artificem tam egregium atq; absolutum nanciscamur, in præsentia tenuem quandam pro mea virili imaginem adumbrabo.

Viua imago seu pictura Aulæ.

Ergo pingatur VESTIBVLVM sublime atq; inauratum, neq; id humi situm in solo, verum procul à terra in ædito collis fastigio: Preterea inaccessum fermè & abruptum, lubricoq; aditu, ita vt plerunq; qui se iam ad summũ vsq; verticem penetrâsse sperant, lapso pede præcipitati ceruicem frangant.

Intus autẽ OPVLENTIA sedeat, tota (sicuti videtur) aurea, maiorem in modũ formosa atq; amabilis. Porrò amator vbi vix tandem conscendit, iamq; ad fores accesserit, obstupescat, oculis in aurum defixus: deinde SPES, quæ & ipsa specioso vultu est, ac versicoloribus amicta, manu præhensa introducat, mirè iam ipso ingressu attonitum. Atq; ab eo quidem tempore spes vsq; illum antecedat, ducatque, tum aliæ mulieres illum excipientes, puta FALLACIA SERVITVSQVE, tradant LABORI. At is miserũ penitus defatigatum tandẽ SENECTÆ tradat iam morbidum,

dum, coloreque commutato. Postremò CONTVMELIA, arreptum illum ad DESPERATIONEM pertrahat.

Ex hoc quidem tempore ſpes auolans euaneſcat. Tum ille non per aureum illud atrium, per quod ingreſſus fuerat, ſed per poſticum quoddam, & occultum exitum extrudatur nudus, ventricoſus, pallidus, ſenex, læua quidem pudorem occultans, dextra verò ſeipſum ſtrãgulans. Occurrat autem exeunti POENITVDO fruſtra lachrymans, & miſerũ bis etiam conficiens. Atq; hic quidem eſto picturæ finis.

Cæterum tu, Timocles optime, ipſe diligenter conſideratis ſingulis expende, num è re tua ſit, vt in hanc imaginem per aureas illas fores ingreſſus, per illas longè diſſimiles tam turpiter excutiaris. Quicquid autem feceris, memineris ſapientis illius, qui dixit: DEVM in culpa non eſſe, verum qui ſua ſponte delegerit.

FINIS.

ERASMVS ROTERODAMVS, IN ENCOMIO MORIAS.

VID de Proceribus Aulicis commemorem, quibus cum nihil sit addictius, seruilius, insulsius, abiectius, tamen omnium rerum primos sese videri volunt. Hac vna in re tamen modestissimi, quod contenti, aurum, gemmas, purpuram, reliquaque virtutum ac sapientiæ insignia corpore circumferre, rerum ipsarum studium omne concedunt alijs. Hoc abunde felices sibi videntur, quod Regem herum vocare liceat, quod tribus verbis salutare didicerint, quod nôrint ciuiles titulos subinde inculcare, serenitatem, dominationem, & magnificentiam. Quod egregie perfricuerint faciem, quod festiuiter adulentur. Nam hæ sunt artes, quæ vere nobilem & aulicum deceant.

Artes nobilium Aulicorum.

Cæterum si vitæ rationem omnem propius inspicias, nimirum meros Phæacas inuenias, Sponsos Penelopes, reliquum carmen

carmen agnoſcitis, quod Echo vobis melius referet quam ego.

Dormitur in medios dies, ibi ſacrificulus mercenarius ad lectum paratus, qui propemodum cubantibus adhuc ſacrum expeditę peragat. Mox ad ientaculũ, quo vix peracto, iam interpellat prãdium. Sub id alea, laterunculi, ſortes, ſcurræ, moriones, ſcorta, luſus, inficetiæ. Interim vna aut altera merenda. Rurſum cœna; poſt hanc repotia, non vna per Iouem. Atq; ad hunc modũ, citra vllum vitæ tædium elabuntur horæ, dies, menſes, anni, ſecula.

Ipſa nonnunquam ſaginatior abeo, ſiquando viderim illos μεγαλοῤῥοῦντας, dum inter nymphas vnaquæque hoc ſibi videtur Dijs propior, quo caudam longiorem trahit; dum procerum alius alium cubito protrudit, quo Ioui vicinior eſſe videatur; dum ſibi quiſque hoc magis placet, quo grauiorem catenam collo baiulat, vt robur etiam, non opes tantum oſtentent.

EIVS-

EIVSDEM PRAECEPTA AVLICA; EX EPISTOLARVM LIB. XXVII. EPISTOLA *penultima, in distinctum ordinem redacta.*

ERASMVS ROTERODAMVS CVIDAM S.

SCribis te nolentem ac reluctantem, voluntate parentum rapi, protrudiq́; in Aulam Principis. Quando igitur necessitas vinci non potest, superest vt commodè vtendo perficias, vt aliquando te istinc explices quam minimo malo. Nec enim omnibus infeliciter cessit hanc adisse Laidem. Et ne tibi videar non satis grauis admonitor, scito me ab ipsa puericia ad annum vsq; quinquagesimum in Aulis Principum militasse.

PRÆCEPTVM I.

Primum illud tecum statuito, ne quid cui credas, quantumuis in speciem amico, quantumuis arridenti, complexanti, pollicenti, deieranti, nec quenquam existimes tibi ex animo amicum, nec tu sis cuiquam amicus ex animo, tamen perinde, quasi neminem non ames, ita blandus & comis esto singulis.

Esto

II.

Esto largissimus eorum officiorum, quę tibi nihil afferunt impendij.

III.

Saluta blandè, complectere, cede viam, aperi caput, subinde repete honoris & charitatis titulos, lauda affatim, pollicêre benigniter.

IIII.

Prius igitur domi vultum componito, vt is tibi paratus sit ad omnem fabulę partem, ne quid veri affectus in facie sublu-ceat. Meditanda domi est actio, vt oratio vultui, vt vultus ac totius corporis gestus orationi fucatæ subseruiat. Hæc sunt Aulicæ Philosophiæ rudimenta, ad quæ nullus erit idoneus, nisi prius omnem pudorem absterserit, ac vultu natiuo domi relicto, quasi personam sumserit.

V.

Proximum erit, vt factiones totius Aulæ subodoreris: sed ita ne cui te facile admisceas. Si quos, aut si quas videris, nihil non posse apud Principem, vide vt te semper inflectas ad latus nauis felicius.

VI.

Nec pudeat aut pigeat assentari Morio-

nibus

nibus etiam, quos animaduerteris gratos esse Ioui.

VII.

Sed hunc ipsum technis omnibus captabis.

VIII.

Quoties in illius conspectu consistes, arte præ te feres simplicem quandam alacritatem, quasi gaudio gestias, quoties illi datur adesse: & posteaquam comperisti, quibus rebus offendatur, quibus oblectetur, non multum erit negocij apud illum quamuis magnam inire gratiam.

IX.

Commode subseruies, ad orationem arridebis, si loqui non dabitur, applaudes velut admirabundus. Sed apud alios plenis, vt aiunt, tibijs, illius laudes decantabis. Aliqui certe perferent si passim prędicaueris.

X.

Nunc hic, nunc ille tibi captandus erit munusculo, sed eleganti, & apto magis, quam precioso, ne videaris aureo piscari hamo, precium addes oratione: Excusabis tenuitatem fortunæ, vbi illa contigerit opulentior, polliceberis montes aureos.

Si qua

XI.

Si qua præda affulserit, caue quisquam Deorum aut hominum tibi tam charus sit, vt illi credas.

XII.

Semper tibi proximus esto. Quoties de re agitur, vel patri verba danda sunt.

XIII.

Non semper in Aula spirant venti secundi; Vbi spirant, arripienda est occasio. Nullius iurisiurandi tam sancta sit tibi religio, vt huius gratia patiaris opimam prędam elabi de manibus.

XIIII.

Si quis Principem senserit vehementer offensum, ac diuersam factionem gestire victoria, semper accommoda te felicioribus: sed ita, vt alteram partem non lædas capitaliter, nisi id fiat tuo magno certoque bono. Solent enim Principum fauores, ventorum in morem, subinde reflare in diuersum.

XV.

In summa, vbique venare commodum tuum.

XVI.

Ne quem apertè lædas.

XVII.

Caue mensam habeas domi: ea res exhauriet te sumtibus. Longè præstat cõuiuam esse quam conuiuatorem. Noli supputare quanti constet vna cœna domi data, sed subducito ratione ad quãtam summam post annum ea res tibi sit reditura.

XVIII.

Proceres aliquot cole: Horum mensis te adiungito: sed ita, ne crebrius ad eundem. Hic comis & commodus esto conuiua, sed festiuus ac lepidus, vt ne quem offendas.

XIX.

Si quid in te dictũ erit petulãtius, in lusum iocumq; vertito, etiamsi seria res sit.

XX.

Ab omnibus tanquam ab hostibus caueto.

XXI.

Ne cui concredas vnde te possit lędere.

XXII.

Si quos senseris tibi parum amicos, fac artificio summo dissimules, & communibus officijs hoc magis apud illos amicum agas.

XXIII.

Lauda apud eos quos ſuſpicaris renunciaturos: hac arte aut fient amici, aut mitius erunt inimici. Tantum caue ne qua detur anſa lædendi.

XXIIII.

In cæteris nugis Aulicorum eſto lepidus congerro.

XXV.

Tantum ab alea temperato. ſi quidem ad hunc ſcopulum multi fecêre naufragium, ſic vt vix licuerit enatare nudos.

XXVI.

Da operam vt quam minimum inquineris.

XXVII.

Ad rem augendam, & conſtabiliendam vbique vigila.

XXVIII.

Vbi ſatis pingueris, excogitanda ratio, vt, quod paucis contigit, feliciter ab Aula te ſubducas, tibique viuas.

XXIX.

Neque perpetuus adſis Principi, neque nimium diu abſis: quorum alterum parit tædium & ſatietatem, alterum obliuionem.

XXX.

Vt autem etiam commodo tuo absis, ambi Legationes, sed fauorabiles, minimique negocij: ita subinde redibis nouus ad Principem tuum.

XXXI.

Semper esto querulus ac petax, & quẽadmodum callidæ meretrices, varijs nominibus ac modis semper aliquid auferunt ab amatoribus, ita tibi studio sit semper aliquid auferre à Principe.

XXXII.

Sed ea potissimum petenda, quæ ille sine suo sumtu largiri potest. Quod genus sunt Sacerdotia, Præposituræ, Abbatiæ.

XXXIII.

Si quid erit tale, cuius tu capax non sis, suborna qui petant suo nomine, sed tuo commodo.

Hæc arbitror esse satis pro primis elementis: posthac, vbi te profecisse videro, abstrusiora quædam impertiam.

Vale.

HEN-

HENRICVS CORNELIVS AGRIPPA AB NETTESHEIM,

in libro de vanitate scientiarum.

CAP. LXVIII.



ST reuera Aula nihil aliud, quã Collegium Gigantum, hoc est, nobilium famosorumq; nebulonum conuentus, theatrumq; pessimorum satellitum, morumque corruptissimorum schola, & execrabilium scelerum asylum: vbi superbia, fastus, tumor; rapacitas, libido, luxus, liuor, ira, crapula, violentia, impietas, malitia, perfidia, dolus, malignitas, crudelitas, & quęcunque vspiam sunt vitia, moresque corruptissimi, habitant, imperant atque regnant: vbi stupra, raptus, adulteria, fornicationes Principũ & Nobilium ludi sunt: vbi etiam Principum Regumque matres nonnunquam filiorum lenæ sunt. ibi scelerum omnium procellæ, virtutumque omnium inenarrabile naufragium: probus quisque illic opprimitur, pessimus quisque

que prouehitur, simplices irridentur: iusti persequuntur, audaces & impudentes eriguntur, soli illic prosperantur adulatores, susurrones, detractores, renunciatores, calumniatores, sycophantæ, pseudoli, famicidæ, supplantatores, inuentores malorum, cæteriq; tempestatum populi, quibus peruersissima quæq; facinora in professo sunt: quorum vita omnis turpissima; quicquid vspiam est teterrimarum beluarum peruersitatis, tota hæc & omnis in aulicum gregem, quasi in vnum corpus confluxisse videtur. Illic ferocitas Leonis, sæuitia Tigridis, truculentia Vrsi, temeritas Apri, superbia Equi, rapacitas Lupi, obstinatio Vituli, fraudulentia Vulpis, versutia Chamæleontis, varietas Pardi, mordacitas Canis, desperatio Elephantis, vindicta Cameli, timiditas Leporis, petulantia Hirci, immunditia Suis, fatuitas pecudis, stoliditas Asini, scurilitas Simiæ. Ibi furentes Centauri, ibi perniciosæ Chimeræ, ibi insanientes Satyri, ibi fœdæ Harpyiæ, ibi improbæ Sirenes, Scyllæque biformes: ibi horrendi Struthiones, ibi voraces Griphi, auidique Dracones: & quicquid fatalium monstrorum, infelicisque portenti

vspiam

vſpiam ſtupet coacta natura, illic habitat, atque viſitur; ibi omne virtutum genus, ſuos patitur carnifices atque tyrannos. In ſumma, aut nequitiæ, malitiæ, impietati inſiſtendum, aut Aula cedendum. Non impune licet, niſi cum fatis exeat Aula, qui vult eſſe pius.

Nullum ciuitatibus exitialius malum contingere poteſt, quam potentis Principis Aula. hæc vbi mouetur, tanquam Cometes malorum omnium prænuncia, ac veluti contagioſiſſima peſtis, quocunque applicat, perniciofiſſimam cladem ſecum fert: vndecunque migrat, inſanabilia, veluti eorum quos rabidus canis momorderit, relinquit veneni ſui veſtigia. Comitatur illam perpetua rerum caritas, dum quiſque ex ea lucrum captare nititur, exaucto rerum precio, quod nunquam poſtea remitti poteſt, magno detrimento: Comitatur & luxus cibariorum, quo introductis peregrinis epulis, populus ipſe patrios cibos faſtidire incipit, paſſimque popinæ & gulæ indulgens, res ſuas turpiter abſumit. Comitatur & faſtus, quem dum ciues mulieresque imitari conantur, & ſingulæ domus diſpoſitionis ſuæ formulam habitumq; inde mutuantur,

tur, omnia sua in vestes & pompam profundunt. Sequitur corruptio morum introductis pessimis vitijs, perniciosissimũ malum.

Iam vero recedens è ciuitate Aula, heu quam fœdam caudam post se relinquit? hi adulteratas comperiunt vxores, illi stupratas, & vel abductas in scorta filias, alij supplantatos filios, alij corruptos seruos & ancillas. Quid multa? fit luctus ingens, totaque ciuitatis facies immutata facta est, sicut facies meretricis. Scio ego famosam Galliarum vrbem ea causa sic peruersam, vt vix aliqua ibi matrona pudica sit, vix filiæ nubant virgines. quin & palatinum scortum fuisse summi honoris est: & seniores matronæ iuniorum lenæ sunt: eaque turpitudo sic inualuit, vt nullus verecundiæ locus sit: vix maritis ipsis vxorum meretricatus curæ est, modo (vt ait Abraham ad Saram) bene sit illis propter illas, viuantq; laute ob gratiam illarum.

DE NOBILIBVS AVLICIS.

CAP. LXIX.

AVLICVS populus duplex eſt: Priores partes tenent Satrapæ, Nobiles inquam illi Thraſones, qui faſtu, luxu, & pompa inſaniunt: induti purpura & byſſo, & opere plumario, veſtibus deauratis, & circundatis varietate, quibus

Scorta placent, fracti curuiq; è corpore greſſus,
Et laxi crines, & tot noua nomina veſtis.

Hi vires omnes in Venerem frangunt, tum illorum ingenioſa gula eſt & guſtus, per omnia cultum quærunt, epulantur ſplendide, dant & accipiunt conuiuia. Inter hos laudi plerunque ducitur, ſi illuſtri conuiuio ſic ſua prodigant ſemel, vt trimeſtri toto impudenter menſas circumeant alienas. Ad iſtos vndique confluunt Citharœdi, Tibicines, & omne genus Muſicorum, Mimi, Hiſtriones, Paraſitæ, Meretrices, Lenones, Saltatores, Venatores, & huiuſmodi prodigia hominum; aluntur q; Canes, Equi, Lupiceruarij, Accipitres, cæteræq; armatæ aues, Simiæ & Pſittaci, & ſi qua monſtra ſunt ac naturæ probra, Vrſi, Leones, Leopardi, Tigrides.

Colloquia eorum meræ nugæ & ociosæ fabulæ: obtrectant, deferunt, effutiunt, mentiuntur, ac veris falsa commiscent. Hi de canibus, de venatibus, de syluæ ambitu, de ambage lustrorum, de venationum euentibus, multa fabulantur: illi de equis, de militia, & fortiter ab se factis multa mentiuntur. Si adest, qui inuideat æmulus, aliorum sermones obstrependo discutiet, alias inserendo nugas, & quæ sibi putet laudem gignere, sua insolenter narrabit facinora: hunc alius sæpe de mendacio conuincit, & varijs scommatibus explodit, vnde totum tunc conuiuij colloquium frequenter in iram & contumeliam desinit; & velut in centaurorum conuiuijs Bacchi munera non cessant, donec eliciant sanguinem: Ita & in istorum aulicorum conuiuijs sæpe hospites redeunt cum cicatricibus, ac si hoc edicto inuitati videantur.

„ *Quod superest; læti bene gestis corpora rebus*
„ *Procurate viri, & pugnam sperate parati.*

Proinde vero summa istorum disciplina est, obseruare tempora Principum, ne quid intempestiue illis ingerant, eaque non ab astris, à cœlis, ab Ephimeridibus captant,

captant, ſed à vino, à prandio, à conuiuio, à venatione, ab accubitu, dum exhilaratus eſt Princeps, & voluptatis alicuius compos, & quos alios molles aditus, & tempora norunt. Tunc nouitatum rumuſculos primum aſpergunt, quibus Principis aures titillant: deinde paulatim ad ea quæ cupiunt procedunt, inſcriptum à natura ſua habentes Ariſtotelis ad Caliſthenem diſcipulum conſilium, hortantis, vt cum Rege, aut nunquam aut iucundiſſime lo- ”
queretur, quo ſcilicet apud Regias aures, ”
vel ſilentio tutior, vel ſermone eſſet acceptior.

Quod ſi tunc cuiuis illorum Princeps aut Rex arriſerit, & ad id quod loquitur annuat, ſi gratũ quid quod dixerit, aut fecerit, ſi illi quid crediderit, ſi illum confabulatorem ſecum ſecreto abduxerit, atq; alijs non ita, profecto magnus tunc erit ille in oculis hominum, iamq; omnia audebit, mordebit omnes, ridebit omnes, floccipendet omnes, detrahet clanculum, reprehendet palam, loquetur grandia: nihil non audebit, quo metuant eum omnes: conculcabit inferiores, contemnet pares, ſuperiores dedignabitur, honorem & adorationem exiget, etiam per

contumeliam totus tumet & effertur, & potentiam adfectat:

Libertas scelerum, est virtus & summa potestas.

Quisquis illi non arridet, non applaudit, etiam cum malefecerit, illico reus est: nam aut fortunę eius inuidere, aut officio eius non deferre iudicabitur. neq; ij tunç solum paribus inferioribúsq; infesti sunt, sed & Principibus ipsis sæpe perniciosissimi, quibus veritatis, prudentiæ, correptionis & consiliorum imagine perditissimè adulantur, & in nefanda scelera sæpissimè impellunt: Quemadmodum apud Lucanum Curio instigat Cæsarem:

Quod tam lenta tuas tenuit patientia vires
Conquerimur; deerátne tibi fiducia nostri?
Dum manet hic calidus spirantia corpora sanguis,
Et dum pila valent fortes torquere lacerti,
Degenerem patiêre togam, regnúmque Senatus?

Similes Alexander Magnus habuit instigatores, qui illum suapte natura insanientem, magis magísque in bella & cædes incenderent. Tales habuit & Roboam Salomonis filius consultores, tales habent

bent & nostri seculi Principes, qui morem gerentes illorum cupiditatibus, illis ad omne scelus parent, hortantúrque, aut sic dissuadent, vt fortius impellant, dum rationes suas tam futiles & infirmas opponunt, vt sic se conuictos passi credulorum Principum confirment errorem; vtrobique sic decipientes, vt non possint argui, sed de proditionis perfidia insuper gratiam mereantur. Tales hodie habet Gallorum Rex Franciscus ad mala consilia nimium promptos, qui illum contra Cæsarem in omnem perfidiam ac Tyrannidem libenter impellerent, atque ij interim optimi habentur atque fideles. Hæc de nobilibus aulicis hactenus, quorum, qui vnum offenderit, omnium cæterorum reus est.

DE PLEBEIS AVLICIS.

CAP. LXX.

SVNT adhuc quidam plebej aulici, hōmines improbi animi, qui nulli in vita præesse sciunt, sed ipsi subiectione continua gaudent, ij circumeunt Nobilium domos, illísq; parasitantur, mensis viuentes alienis:

Et bona summa putant, aliena viuere quadra.

Omnibus idcirco obsequuntur, omnibus adulantur, omnibus parasitantur, & omnibus omnia fieri student, plures quā Proteus species mentientes, atq; in plures formas sese vertentes, quo potentiorum fauorem sibi concilient. Conuiuarum sermones explorare student, vt habeant, quod renuncient: diffidentium autem secretos rumusculos vulpina astutia inquirunt, eosdemque nunc ad amicos, nunc ad inimicos perferunt, vtrisque se gratos præbentes, dum sunt vtrisq; perfidi: eoque magis proditionibus idonei, quo ob imaginem simplicitatis minus habentur suspecti. Quumque nullum facinus sceleratius habeatur quam proditio, nullum tamen ad diuitias & dignitates in

Aula comparandas vtilius ac compendiosius, ipsisque aulicis, etiam Regibus, acceptum gratumq; magis. Adhærent itaq; nobilium liminibus, &

Scire volunt secreta domus atq; inde timeri.

Quod si semel fuerint turpitudinis aut proditionis alicuius conscij, iam euaserunt, iam caput extulerunt, Nam

Charus erit Verri, qui Verrem tempore quouis »
Accusare potest. »

Iam familiaritas, imo necessitudo quædam nobiliorum contracta est, qua freti ad ea quæ desiderant, facile accedunt.

Primum itaq; quærunt vt in matriculam aulicorum inscribantur, Idque illis vel sine stipendio satis est: Siquidem sola inscriptio etiam absque salario quæstuosa est, & suam prædam habet. Deinde potentes quoscunq; captare non diffidunt, quos tunc solicitant blanditijs, instant obsequijs, & se muneribus ingerunt ratione consortij, aut alia quauis arte, & quæcunq; ab alijs aut periculorũ metu, aut laborum intolerantia, aut lucri penuria relinquuntur, isti auidissime quærunt, vigilant dies & noctes, peregrinantur, & susceptas ferunt, referuntque legationes & litteras, labores immensos aggrediuntur

& perferunt, & audent quid, breuibus Gyaris & carcere dignum, donec ijs meritis, aut ſcrinijs præficiantur, aut cõſignandi ſuſcipiant officium, aut ærarij cuſtodiam obtineant, aut cenſus varia ratiocinia illis committantur.

Iamq; egreſſi laborum anguſtias, nullum obſequium eorũ amplius gratuitum eſt, Sed omnia deinceps ad precium venalia habent, & cum nouo honore mutatis moribus, omnium, quæ retro ſunt, obliti in anteriora tendentes, priora ſua cõtemnunt, vlteriora cõcupiſcũt, auaritiaq; cõtracti ad prædam ſtrepitumq; lucri omnia vertunt, fide parci, verborũ prodigi, blandi pariter & inſidioſi, ſermone obſcuri, & oraculorum inſtar ambigui, quicquid vident, quicquid audiunt, quicquid dicitur, quicquid agitur, cõiectant omnia in peiorem partẽ, ſibi ſoli fidunt, ſe ſolos amant, ſibi ſoli ſapiunt, nullius fidei aut amicitiæ credunt, ſodalitatẽ nullam, niſi lucri cauſſa, colunt, cõmodum proprium omnibus præferunt, amicos, hoſpites, propinquos, ſocios, quicunq; lucrũ non adferunt, tanquã ſteriles arbores, deſpiciunt, priſtinos ſodales ſi quis eorum occurrat, prætereunt, quaſi ne norint quidẽ: ſi quis illorum implo-

implorat opem, hunc verbis & promiſſis abunde paſcunt, plúſq; promittunt quam præſtant; ſi nihil attulerint, auxilio deſtituunt, & vel cauſſa ſpoliāt, gratiam omnē venalem habēt, virtutem omnē contemnunt, aliorumque laudes diuerſis ſententijs frangunt, & poſt terga artificioſe cuilibet detrahunt. ipſi neminem ſine exceptione laudant, quemamodum orator ille, Iulium fortunatum (aiebat) fateor, virum fortem, & quem cōſtat ſtrenue egiſſe quam plurima; quo tamen pacto iudicium repetundarum apud Iudices iuſtos euaſerit, mirarer quidē, ſi vis eloquij eius mihi eſſet incognita. Et alius,

Felix & nato, felix & coniuge Proteus,
Et cui, ſi demas iugulati crimina Phoci,
Omnia contigerant.

Præterea aulicis muneribus, Vulturum inſtar, ſemper inhiant, vndecunq; venantur prædam, eamq; quibus poſſunt, veluti Phineo obſoniū, vel ipſis è faucibus, Harpiyarum inſtar, præripiunt: Æmulorum calamitatibus gaudēt, nullius malo compatiuntur, nulli promiſſa ſe debere putāt, niſi pro ſua libidine, nulli gratiā referunt, ſed omnes pariter aut beneficio indignos iudicant, aut negligentia prętereunt, non

nullos

nullos odio compensant, sed in odio gratiam fingunt, & dissimulant iram: præter Principem aut Regem, nullum alium obseruant aut verentur: sed ne hos quidem nisi aut metu, aut pro compendio.

Cumq; iam ad canos vsq; in proditionibus, in fraudibus, in ærumnis & laboribus versati, anxijs his sordibus ingentes opes sublimésq; honores corripuerunt, tunc fásq; nefásq; confundunt, vt filios non tam honoris quam rapinæ simul & iniquitatis relinquant hæredes.

" *Sic serpente ciconia pullos*
" *Nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta:*
" *Illi eadem sumptis quærunt animalia pennis.*
Sic leporem, aut capream famulæ Iouis & generosæ.
In saltu venantur aues, tunc præda cubili
Ponitur, inde autem cum se matura leuabit
Progenies stimulante fame festinat ad illam,
Quam primum rupto prædam gustauerit ouo.

Atq; hæ sunt Plebeiorum Aulicorum artes, quibus multi ex infima hominum fæce ad amplissima munera, quæsturas, dignitatésque conscendunt, proximámque apud Principes & Reges suos authoritatem adepti, diuitias Principibus pares conflant, Regiaque extruunt palatia:

dum interim nobiliores illi aulici ſua omnia in ſcorta, in aleas, in venationes, in equitia, in conuiuia, in pompas, in veſtes, in faſtum, profundunt, terras, caſtra, poſſeſſiones, patrimonia, decoquentes: quæ tunc plebei iſti emunt, in nobilium locum his ſuis ſceleſtiſſimis artibus ſuccedentes.



ARTAXERXES REX, IN EPISTOLA AD OMNES PROVINciarum Præfectos: In lib. Esther.

CAP. XVI.

MVLTI bonitate Principum, & honore qui in eos collatus eſt, abuſi ſunt in ſuperbiam; & non ſolum ſubiectos Regibus nituntur opprimere, ſed datam ſibi gloriam nō ferentes, in ipſos qui dederunt, moliuntur inſidias.

Nec contenti ſunt gratias non agere beneficijs, & humanitatis in ſe iura violare; Sed Dei quoq; cuncta cernentis, arbitrantur ſe poſſe fugere ſententiam. Et in tantum veſaniæ proruperunt, vt eos, qui credita ſibi officia diligenter obſeruant, & ita cuncta agunt, vt omnium laude digni ſint, mendaciorum cuniculis conentur ſubuertere, dum aures Principum ſimplices, & ex ſua natura alios æſtimantes, callida fraude decipiunt.

Quæ res & veteribus probatur historijs,& ex his quæ geruntur quotidie; quomodo malis quorundam ſuggeſtionibus Regum ſtudia deprauentur. Vnde prouidendum eſt paci omnium prouinciarum: nec putare debetis, ſi diuerſa iubeamus, ex animi noſtri venire leuitate, ſed pro qualitate & neceſſitate temporum, vt Reipublicæ poſcit vtilitas, ferre ſententiam.

POLYBIVS, IN LIBRO V. HISTORIAE ROMANÆ.

EXIGVA plane tempora homines quidem omnes valde exaltant, rurſumque humiliant, ſed AVLICOS maxime. Reuera enim hi ſimiles ſunt abaculorum calculis. Iſti enim, ſecundum computantis arbitrium, modo æręi ſunt, modo aurei: Et Aulici ad nutum Regis nunc beati ſunt, nunc miſeri.

PLATO, IN DIALOGO VIII DE IVSTO.

DIVITES quidem viros plærique laudant & admirantur, atque ad Magistratus euehunt; Pauperes vero despiciunt. Cæterum si quis in nauis gubernatione à census æstimatione Gubernatores eligat, pauperem vero, licet gubernandi peritiorem, haud quaquam admittat, quid ex hoc secuturũ censes aliud, quam vt male nauis ducatur? Atqui eodem pacto in quouis alio principatu.

Idem Dialog. 4.

Si Rempublicam administrantes Legum & Ciuitatis custodes non sunt, sed esse videntur, omnem Rempub. simul perdunt.

Idem Dial. 3.

Ab ebrietate vero ipsis abstinendum. Nulli enim minus conceditur, quam custodi, vt ebrietate grauatus, vbi terrarum sit nesciat. Atque ridiculum est, custode indigere custodem.

CON-

CONRADVS HERESBACHIVS I. C. IN LIB. DE EDVCANDIS *Principum liberis.*

CAP. V.

DELECTVM summũ habendum censeo, ne quoslibet in familiaritatẽ admittat. Nam sunt quidam qui etsi prima fronte grauitatem, eruditionem, ac morũ vrbanitatẽ præ se ferant, attamen adulationis venenum sub speciosis his virtutũ imaginibus tegunt, Si quidem inter cæteras non paucas aulicæ philosophiæ pestes, vna est omnium perniciosissima adulatio, malum haud quaquam simplex, sed omnium calamitatum Iliada trahens, adeo vt maximos Monarchas, & alioqui ferocissimos gentium domitores à scurris abiectissimis ἄγεσθαι καὶ φέρεσθαι, atque vna cum amplissimis regnis in exitium pertractos esse sæpe compertum sit. Quod malum nusquam validius quam in aulis Principũ regnat, & in magnis ac prępotentum familijs, non aliter quam quod

Liuius ait de inuidia, quæ ſicut ignis alta petit, imò in aulis nata videtur, vnde Grãmaticis quaſi Adaulatio dicta videtur. Quo alluſiſſe Ouidium apparet, canentem,

Agmen adulantum media procedit ab aula.

Hic velut in ſua arena ſe exercet adulator, Camæleontem aut polypum mutabilitate vincens. Perennius adulatione & perfidia ſuam potentiam augens, Commodum Imperatorem perdidit. Magna ex parte pueri ſiue Principes ſeu priuati complectuntur eos iuuenilibus annis, qui ſunt ipſorum affectibus magis accommodi, & cupiditatum miniſtri: continuò igitur præmuniendus pueri animus eſt aduerſus horum contagium, atq; ab ipſis ſtatim crepundijs proſpiciendum, ne in conſuetudinem atque adeò famulitium Principis puelli irrepat hæc lues; procul hinc procul eſte colaces. Nam ſi recens ſemel teſtula blanditijs huius mali capiatur, periculum eſt ne in totam vitam macula proſerpat, ac radices agat, & ineſcatus ille prædulcato veneno eos odiſſe incipiat, qui ſe reuocare ſtudeant. In plæriſque morbis vulgo notum eſt, quid poſſit contagio; verũ quid proſit aut obſit conſuetu-

Perennius: Herodian. li. 1. in Commodo.

ſuetudo eorũ, cum quibus verſetur puer. (quando ſenſim ac minutis acceſſionibus ſerpit vtilitas aut noxa) non æque ab omnibus ſentitur. Non ſentitur irrepere, ſed iam ex interuallo irrepſiſſe.

Iam vero vt de adulatione ſuſpectos diximus, diligenti cautione propellendos à conſortio pueri, ita pręmuniendum quoque cenſemus antidotis puerum aduerſus hoc venenum. Ac prius quidem quo à φιλαυτία deterreatur (qui morbus eſt peſtilentiſſimus, maxime in Principibus, qui ſibi licere omnia putant) procurandum eſt, vt ſeipſum noſſe diſcat, iuxta ſapientis ſentętiam, cogitetque num tale quippiam in eo ſit, quod prædicat adulator, num æquum quod ſuadet, num decorum, num pium, an verum, an conducibile, an è Principis dignitate, an è Reipub. Vtilitate. Deinde vt omnes ſuſpectos habeat, qui vbique ſtudent eſſe plauſibiles, omnibus ſententijs aſſentiuntur, ſemper parati vel laudare vel vituperare, ad alterius gratiam captandam: Qui in honorum exhibitione, in ſalutationibus, in opera pollicenda, ac ſimilibus officijs vulgaribus, ſunt plus ſatis prodigi, qui quibuslibet prompti dextram ad ſex vl-

nas vſque porrigunt, altera videlicet panem oſtendentes, altera lapidem abſcondentes. Qui nuſquam non corpus, facultates ac ſanguinem offerunt, qui ſecreta omnia rimantur expiſcanturque, & ſimulata quadã ſimplicitate factiones ſubodorantur, potentioribus ſe adiungunt, ſuos in procerum ac heroinarum numero patronos captant, ab omnibus fauorem emereri ſtudentes, non habita ratione, ſiue id virtute an ſcelere fiat, qui minores quidem Deos venerantur, ſed vt apud Iouem ipſum patrocinentur. Huc omnia artis ſuæ ſpecimina dirigunt, adeo vt etiam morionibus ac catellis, quæ illis in delitijs ſunt, non dubitent adulari. Si videant Principem venationibus, aucupijs, deditum, nihil præter venationes, canes, accipitres crepant, identidem viſam à ſe ingentem feram clamitantes. Si luxum aut ſplendorem, nihil præter gemmas bracteatáſque veſtes ingerunt; hæc Principe, inquam, digna veſtis. Si crapulis poculíſque delectari ſentiant, ſubinde commeſſationes adornant, quin & ipſi quoque ebrietati vacant. Nunc Epiſcopi cuiuſdam ſtrenui potatoris ſacellanum, cum ingentem pateram exhauriret Princeps,

ceps, ô dignum Principe hauſtum, ſucclamâſſe. Si erga eos quos vocant Euangelicos, Princeps ſit propenſior, in promptu ſunt in Pontifices & Eccleſiaſticos conuitia. Si rurſum Pontifici faueat, mox Euangelicos lacerari audias, eoſque vt ſeditioſos tollendos, vt hæreticos cremandos. Neque eſt hoc tempore in Eccleſia peſtilentior morbus, qui pietatem ac religionis conſtituendæ rationem plus impedit quam adulatio. Sic Dionyſij crudelitatem adulatores iuſtitiam appellabant. Aſſueri aſſentatores acclamabãt, iuſta eſt Regis indignatio. Breuiter, ad omnẽ ventum pallium, vt dicitur, ſubducunt huic arti vacantes. Quam tamen plærique ſic attemperare callent, Vt, quemadmodum Quintilianus ait, præcipuum artis eſſe ipſum artificium cælare, ita nihil minus quam adulari videantur. Apud cordatiores Principes de virtutibus grauiter diſſerunt, ſed tamen fucatè. Nonnullos ſic impudenter adulari videas, vt amoris atque affectuum paritatis ſimulatione in periculum ſe conijciãt. Qualem fuiſſe referunt eum, qui ad gratiam eius quem captabat, vxorem repudiabat, quod ſciebat illi, cui adulabatur, coniugem parum gra-

tam. Quosdam accepimus nostro tempore apud maximum Monarcham morbum simulasse, ac vna cum Principe in periculosorum remediorũ societatem descendisse. Ita Dionysij adulatores pocula patinasque in mensa subuertebant, simulantes se eodem cum Rege caliginis vitio teneri, atque ita tandem in magnum Principem exitium perduxerunt palpones, vt ante quoque diximus de Galba. Quò non perpulerunt Antoninum? De Commodo traditur, eum huc perductum ab adulatoribus & calumniatoribus, vt nulli non calumniæ fidem adhiberet. Neminem amicum adiũgebat, cui virtus aliqua adesset, sed à cunctis rectis studijs animũ auocabat, neminemq́; non à limine tanquam insidiatorem submouebat, quem aut probitas aut disciplina illustraret. Scurras verò, & qui turpissima repręsentabant, quasi addictos sibi habebat. Alexander Magnus, præclaris alioq; virtutibus insignis, à palponibus persuasus, immortalem se fore, ac pro Deo adorari se passus, tandem eorundem Commercio eo raptus est, vt eximios ac fidelissimos amicos sustulerit. Et nos Principem vnum atque alterum nouimus, qui adulatorum consilijs obse-

obſecuti, tandem è Principatu exacti ſunt.

IDEM IN LIB. II. DE REP. ADMINISTRANDA.

CAP. VI.

PRINCIPEM bonum faciunt plerunq; boni cōſiliarij, vt in Alexandro teſtatur Lampridius: TOLERABILIOREM, inquiens, REIP. STATVM VBI PRINCEPS MALVS & conſiliarij boni, quam vbi bonus Princeps & conſiliarij mali. Siquidem vnus malus à pluribus corrigi poteſt: multi mali ab vno, quantumvis bono, ſuperari non poterunt. Quare nullum maius boni imperij inſtrumētum, quam boni conſiliarij, vt Tacitus ſcribit. Magnum ornamentum Principi, corona ſenum & cordatorum conſiliariorum cinctum eſſe: Eſtque idem non ſolum ornamento, verum etiam felicem actionū ſucceſſum præbet, & aduerſarijs metum incutit conſiliariorum reuerentia, & ſubditi libentius parent.

Boni & fideles conſiliarij perinde atque boni & cordati ac pij Principes peculiari Dei dono conceduntur: Nam Deus volens

lens perdere Remp. Israëlitarum, minatur illis pueros Principes, & consiliarios effœminatos. Consilium Achitophel infatuatum fuit à Domino. Contra, quando Deus vult fortunare imperia, concedit fortes & prudentes, vt ex Regum historia, & Esaia liquet.

Asciscendi in cõsiliarios & cooperarios administrationis, quales Ietro suasit genero suo Moysi, qui sint spectatę integritatis: SAPIENTES, DEVM TIMENTES, VERACES, INCORRVPTI, & cuiusmodi amici Reip. à Socrate cõmemorantur apud Xenophontem, qui priuatis cõmodis publica præponant, qui mediocria possidere, quam virtutem deserere mâlint, qui voluptatibus non vincantur, iniuriam priuatam negligant, publicam vindicent, neque ambitioni, neq; largitioni obnoxij.

Syrach docet in consilium adhibendos, qui earum rerum, de quibus deliberandum, periti sint: Siquidem belligeraturo non capiendum consilium cum imbellibus & rei militaris imperitis, neque cum impijs de Religione, neq; de Iure dicundo cum Iuris imperitis ac sceleratis. Alexander Imperator cum de iure ac Ciuilibus negotijs tractaret, doctos & Iureconsultos

fultos adhibuit: Si de re militari, veteres & ſenes milites, locorum peritos, bellorum hiſtoriarumque non ignaros, requirens quid in ſimilibus cauſſis veteres Imperatores Romani, vel externarum gentium, feciſſent.

Cum autem in controuerſijs dirimendis, & iure dicundo, Iureconſulti neceſſarij, accerſendi non quæſtuoſi illi litium magis conſtituendarum quam tollendarum artifices, quique linguam & conſilia venum exponunt: Sed qui non magis iuris quam iuſtitiæ conſulti, quique omnia, quæ à Iure Ciuili proficiſcuntur ad facilitatem æquitatemque referant, qualis S. Sulpitius à Cicerone deſcribitur: Et Papinianus ſingularis integritatis & fortitudinis exemplar, qui capitis ſui periculo non veritus, quæ iuſta fuerant reſpondere. Tales fuerunt Ioſeph & Daniel. Requirendi autem, qui ſint ingenio alacri, & ad functionem, cui adhibentur, accōmodi, eloquentia linguarumq; peritia non deſtituti. Sæpe enim fit, vt peregrinæ linguæ legatis reſpondendum, deque rebus ſecretis, & arduis conferendum ſit. Adde vt ſint Reipub. ſtudioſi, eiuſq; adminiſtrandæ nō imperiti. Indigenas & ſubditos mâlim,

lim, & φιλοπατρείδας: Nam & populus amat magis, & obtemperat libentius suæ gentis magiſtratibus cooperarijs, quam externis. Quòd ſi negetur, & externis rogantur hominibus, incredibile quantum hac re animi alienentur, & ad factiones, & alios ſæpe Principes euocandos incitentur. Exempla prætereo, ne quis offendatur. Tyranni peregrinis magis quam ciuibus ac ſubditis vti malunt, idq; exiſtimant tyrannidi ſtabiliendæ conuenire, vt Ariſt. docet.

Conuenire videtur ad communem ordinũ concordiam, vt conſilijs adhibeantur, non ſolum proceres è nobilitate, verum etiam è præcipuis ciuitatibus graues, prudentes, rerumque politicarum periti ciues.

Idem ibidem.

Vitandi ambitioſi, faſtuoſi, præfracti, iracundi, furioſi, ac contumelioſi: item philauti, & adulationibus obnoxij ac calumnijs: item ſimulatores & veritatis occultatores. Non ſunt huc admittendi futiles, leues, & ſecreti parum continentes: Non ſunt ſumiuendi neq; pleonectę. Arceantur qui ſeipſos inſinuant, vel fauore ac potentia ingeruntur, & qui præfectu-

ras & prouentus Principum, vel fiduciaria possessione, vel oppignoratione occupant: neque qui officijs & præfecturis præpositi, aut Ecclesiasticis ministerijs mancipati: ne alterius occasione alteram deserant, vel neutram functionem fideliter administrent.

Non sunt huc tam accersendi qui vafritia, atque adeo huius mundi veteratorijs artibus instructi, quam probitate, & integritate atq; industria commendati. Prudentia Dei donum est, iuxta illud; vt auris audiat & oculus videat, Deus facit. Cæterum ea quidam abutuntur ad priuatum commodum, & ad nocendum proximo. Propter prudentiam, inquit Sapiens Rex, laudabitur vir, sed improbus pudefiet: monens prudentia sicut alijs bonis creaturis, non abutendum, atque etiam vitandos qui ea abutuntur, nam eos pudefieri, ac tandem infelices euentus parere, vt in Achitophel & Doeg declarat sacra historia. Quare sequendi, qui verbo Dei mentes regunt, non qui freti, vel eloquentiæ viribus ac humana prudentia, consilia cæcis affectionibus & fortunæ priuatisq; vtilitatibus accommodant.

Suaserim & hos vitandos, qui alijs Principibus

cipibus

cipibus mancipati sunt stipendijs aut beneficijs. Etsi enim scientes patiuntur plærique magni Principes consiliarios suos stipendijs ac muneribus ab alijs honorari: at meo iudicio scientes ac volentes in sinu serpentes fouent, mirum non intelligi hæc gratis non fieri. Ptolomæi Philometoris adhuc pueri largitionibus corrupti consiliarij, Antiocho auunculo Regem suum per ætatem nondũ satis intelligentem misere prodiderunt, vt Danielis vaticinij explicatione declaratum.

Idem ibidem.

Breuiter, talis esse debet consiliarius, qui nihil nebulosum, nihil fallax, nihil simulatum, nihil denique improbum aut maleuolum fucatumve referat, quod vitam aut famam refellat, vt Ambrosius docet in officiorum libris. Alexander Imperator amicos si malos comperisset, puniebat aut dimittebat, dicens; HIS CARIOR EST MIHI RESPVBL.

Vide præterea prænominati libri Epistolam Nuncupatoriam ad Illustrißimum Principem ac Dominum, D. VVilhelmum Ducem Iuliacensem, &c.

PHILIP-

PHILIPPI COMINAEI, LIB. V. DE REBVS GESTIS LVDOuici XI. Galliarum Regis, & Caroli Burgundiæ Ducis; Præceptio Aulica.


IHI ſi quis eſſet apud aliquem Principem amicus aut propinquus, huic ſuaſerim; ita ſe comparet, vt diligatur, nō autem vt metuatur. Nam qui diuerſam rationem ingrediuntur: vt periculum tandem & calamitatem euadant, fieri non poteſt; eiuſque rei multa proferre liceat documenta, non ex Galijs modo, verum etiam ex Hiſpanijs & Anglia. Fere autem fit, vt qui bonam & fidelem operam præſtiterunt; arbitrentur; ſibi aliquanto plus, quam aliјs, licere. Principes contra, longe aliter ſentiunt, & æquius eſſe ducunt; vt qui ſe ipſorum clientelæ & miniſterio tradiderunt, officio fungātur. Memini quo tempore in hanc ſententiam Rex mecum lōqueretur (& ſuum nominabat autorem) affirmans fieri aliquando, vt egregiæ ope-

ræ minus liberaliter remunerentur, idque non tam ingratitudine Principum, quam eorum, qui præstiterunt operam, vitio: dum elati quadam cōfidentia, propter rem bene administratam, insolenter & proterue multa faciunt. Aiebat præterea, feliciter agi, sua quidem sententia, cum eo, cui nullo suo magno merito Princeps benefaciat: & vt quis beneficio sit obstrictus Principi, id multò præstare, quàm vt Princeps clienti aut famulo alicui suo multum debeat: eoque se ingenio esse dicebat, vt qui sibi ob aliquam beneficentiam deberent, eos plus diligeret, quam alios, quibus debere se aliquid ipse putaret. Tam est difficile in omni genere vitæ accōmodare se, & ita gerere, ne quid erres. Magnum igitur est DEI beneficium, valere sensu communi, & iudicio naturali.

PETRVS MARTYR, IN I. SAM. CAPITE XVI.

QVi versantur in Aulis, semper timere debent, ne ruant. Nam Crux, si vspiam alibi, maxime defigi videtur in aulis Principum. Itaque nemo debet ex illo splen-

ſplendore nimium ſibi confidere, aut ſe alienare à DEO, ſed ſemper apud ſe cogitare; ſe eo loco eſſe, vt poſſit facile ruere. Et ſi quis forte cadat, non debet turbari, quaſi noui quippiam acciderit.

Idem 1. Sam. Cap. 18.

Prudenter verſandum eſt in Aulis Principum. Struentur enim tibi inſidiæ per amicos tuos, quos tu putes ex animo loqui. Volunt enim Principes ſcrutari omnium ſuorum corda, in eoq; vtuntur linguis atque auribus aliorum.

Idem in 1. Reg. 10.

Non eſt facilè Aulas bene inſtitutas reperire. Quia nonnullæ ſunt, vbi cernas Principis auaritiam & ſordes: in alijs luxus effluit: & alibi deeſt oeconomica diſpoſitio, cum præſens adſit miniſtrorum & famulorum ingens numerus, imò potius turba confuſa.

Idem in 1. Reg. 22.

In Aulis plærunque ita res habet, vt, qui diu fideliter inſeruiendo præſtiterunt heris omnia officia & obſequia, ſi ad extremum

tremum ſemel impingant, eoſque offendant, omnis præteritorum officiorum pereat gratia.

Idem in Geneſ. 29.

Miſera aulicorum ſors eſt. Si grati & cari diutius maneant dominis ſuis, ſua retinent munera ſatis abiecta & vilia, ſi bene perpendantur atque excutiantur: Sin vero dominorum animus abalienetur, vt fit leui de cauſſa, ab illis; manent eos dira ſupplicia.

Idem in Geneſ. 40.

Aulica igitur ſors, quamuis multis modis videatur à pijs & liberis hominibus reſpuenda, tamen hoc habet commodi, vt multum Eccleſiæ & ſanctis oppreſſis valeat prodeſſe. Familiarium ſuorum ſępe monitis Regum ira poſſet leniri & refrenari, ne ſæuiret contra pios: incitari poſſet interdum Princeps, vt miſerorum tangeretur calamitate, & illis ſubueniret: admoneri vt vitia repurgaret, virtutesque promoueret in regno ſuo. Iſta eſſent aulicorum officia: quæ vbi diſſimulant, &

ne Principum animos offendant, prætermittunt, grauissimi peccati habentur rei. Et si qui sunt, qui agnoscunt piorum hominum caussam esse bonam, neque pro eis loqui audent, nullo pacto se excusatos existiment.

IOHAN. VVOLPHIVS IN NEHEM. CAP. I.

PIIS & sanctis licet esse aulicis. Vita quoque aulica magis incerta est ac periculosa, quam illicita seu vituperanda. Et sanè fuêre in aulis alij item boni & pij viri: Vt Iosephus, vt Moses, vt Dauid, vt Abdias, vt Daniel. Quin Nebridiū suum laudat quoque D. Hieronymus, quod egerit in aula vitam sanctam & modestam, Quamobrem cum non sit illicita quidem, sed laboris & periculi plena tamen; si necessitas pia postulet, non est detrectanda; Verumtamen nunquam cuiquam ambitiose expetenda. In aulis etiam, in quibus præter illecebras voluptatum ac vitiorum nihil inesse putes, reperiuntur ad id quod bonum est, haud vulgares occasiones. Quas arripere, & ad vtilitatem Ecclesiæ conuertere, est indolis optimæ

& sanctissimæ cuiusque; cuiusmodi in Iosepho, Mose, Dauide, Abdia, Daniele, alisque multis eluxit. Iosephus enim in aula rem non solũ heri sui familiarem, verum etiam totius regni publicam in immensum auxit: Moses in aula didicit omnem sapientiam Ægyptiorum: Dauid consecutus est vsum rerum, & obediendo seruiendoq́; didicit imperare: Abdias aluit Prophetas: Daniel vsus est ocio & stipendio regio ad comparandam diuinarum humanarumq́ue rerum scientiam: alias honestas ad res alij sunt aulicæ vitæ bonis vsi.

BRENTIVS IN LVC. XXIII. HOM. LVII.

OBSERVA quid sit in aulam Principum vocari & admitti. Videris quidem vocari ad amplissimos honores, & ad iucundam felicitatem: Sed cum Principum aula is locus sit, in qua Satan, qui & ipse huius mundi Princeps est, multum negotij habeat, certe cum in aulã vocaris, aut vocaris ad maximas quasq; afflictiones, si pergas pius esse, aut vocaris ad summam impietatem & abnegationem Christi, si imbecil-

becillior & meticulosior fueris. Dauid vocatus est ab ouibus ad aulam regis Saulis, sed cum pergeret pius esse, tãtis est obrutus aduersis, vt penè lancea confossus fuerit à Rege, & necesse habuerit fuga sibi salutem quærere. Daniel admissus fuit in aulam Darij Regis Persarũ, sed cum perseueraret pietatem colere, tantis Satanæ insidijs petitur, vt Leonibus dilaniandus obijciatur. Ioannes Baptista venit in aulam Herodis, sed cum pergeret ibi honestatem docere, luit pœnam capite suo. Et hæc illis accidere solent, qui in aulis Pij esse & manere volunt. Quid autem sit de his, qui imbecilliores sunt, quam vt possint aduersa propter pietatem ferre? Hic considera exemplum Petri, qui ad ancillæ expostulationem abnegauit Christum. Hæc non commemorauimus, quod damnemus per se aulas Principum. Vt enim Principum status ordinatio DEI est; Ita Principum aulæ ad ordinationem DEI pertinent. Sed vt doceamus opinionem eorum vanissimam esse, qui putant se ad summam felicitatem vocari, cum ad aulam, & aulicos honores vocantur.

Idem in Lucam, Hom. 71.

In Aulis Principum ac Regum maxime omnium regnat adulatio, & ibi præcipue locum habet illud Gnathonis: Quicquid dicunt, laudo; id rursum si negant, laudo id quoque: Negat quis, nego, ait, aio: Postremo imperaui egomet mihi, omnia assentiri; is quæstus nunc est multo vberrimus. Hæc est imago vitæ aulicæ, hi sunt mores aulicorum.

VVOLFG. MVSCVL. IN PSAL. XCVI.

IN Principum aulis regnant luxus, fastus, perfidia, dolus, vanitas, assentatio, scortatio, adulterium, mendacium, Simulatio, dissimulatio, Violentia, calumnia, &c. quæ omnia procul absunt à Sanctuario DEI.

Idem in Matth. 4.

In quibusdam Principum aulis id moris est, vt ad ebrietatem vsque bibituri, alter alteri ita præbibat, vt quam caram habeat Principis sanitatem, bibendo declaret,

ret, & pro amore Principis præbibenti respondeat. Hic ne videatur quiſque talis, qui Principi ſanitatem inuideat, tali adhortatu fit, vt quotidie ſunt ebrij & Principi dedecori, ſibiq́ue ipſis plurimum noxij: quaſi non poſſit amare Principem melius qui non bibit, quam qui bibendo ſeſe inebriat.

IOHANNES NOVILLEVS IN SVA HORA PSAL. LXVII.

SI te ad Aulicorum ordinem conuertas, quid hic ſpectabis, præter ambitionem, inuidiam, factiones, oppreſſam & contemtam innocentiam, tectam ſimulationis pallio veritatem, hypocriſes, erectam ſuperbiam, læſáſque modis omnibus & pudicitiam & temperantiam, & verecundiam, cæteráſque inſigniores virtutes? Quid denique hic cernes, præter ſuorum commodorum amatores, & oculatarum manuum viros, præter ſubdolos, vafros, in DEVM blaſphemos, veteratores, & malitioſos homines? Quid dicam? Quóuis locorum oculi aciem direxeris,

impura omnia, vitiosa omnia, ficta omnia videbis; Paucos admodum in sua castra recepit virtus, qui cotidiè improborum malitia vapulant, crebrísq; malorum impetuntur incursibus.

IOHAN. LVDOV. VIVES, DE INSTITVTI. FOEM. CHRISTIANÆ, LIB. I.

AVLÆ temporum nostrorum, parentes sunt flagitiorum omnium, & sedes Satanæ: quas non tantum Christianus auersetur, sed & gentilis, qui pauxillum habeat mentis melioris.

CAEL. SECVNDVS CVRIO, IN PASQ. ECSTATICO.

FACILIS ex Aula ad seruitutem Diaboli descensus est.

IOHAN. LVDOV. VIVES, IN COLLOQVIIS SVIS, SIVE EXERCITATIONE LING. *Lat. Dialog. 20.*

QVAM multi sunt, in Aulis præsertim, quibus est nihil dulcius, quam ocium

torpens

torpens atq; inertissimum? admouere manum alicui operi, tormenti est loco.

PLVTARCHVS IN

παραγγέλμασι πολιτικῶν.

QVI inexplebilis cupiditate gloriæ aut potentiæ sibi totum onus ciuitatis imponit, & admouet se ijs, ad quæ neque natus, neque exercitatus est; quemadmodum Cleon, ad ducendum exercitum; Philopœmen ad principatum rei naualis; Annibal ad Concionandum; Is quomodo excuset delictum non habet; sed audit insuper hoc Euripidis;

τεκτων γὰρ ὢν ἔπραττες οὐ ξυλουργικά;
Abs te fabro haud tractata sunt fabrilia.

M. TVLL.

M. TVLLIVS CICERO EPIST. I. AD Q. FRATREM, PROC. ASIÆ: *de prouincia recte administranda.*

INCVMBE toto animo & ſtudio, omni in eam rationem, qua adhuc vſus es, vt eos quos tuæ fidei poteſtatiq; S.P.Q.R. commiſit & credidit, diligas, & omni ratione tueare, vt eſſe quam beatiſſimos velis. Quod ſi te ſors Aphris, aut Hiſpanis, aut Gallis prçfeciſſet, immanibus ac barbaris nationibus: tamen eſſet humanitatis tuæ, conſulere eorum commodis, & vtilitati ſalutique ſeruire.

Atq; ille equidem Princeps ingenij & doctrinæ Plato tum denique fore beatas Reſpublicas putauit, ſi aut docti aut ſapientes homines eas regere cœpiſſent: aut qui regerent, omne ſuum ſtudium in doctrina ac ſapientia collocaſſent. Hanc coniunctionem videlicet poteſtatis ac ſapientiæ, ſaluti cenſuit ciuitatibus eſſe poſſe.

Quare cura, vt hic annus qui ad laborem

rem tuum acceſſit, idem ad ſalutem Aſiæ prorogatus eſſe videatur.

Perfice, vt lætitia prouinciæ deſiderium noſtrum leniatur. Etenim ſi in promerendo, vt tibi tanti honores deberētur, quanti haud ſcio an nemini, fuiſti omnium diligentiſſimus, multo maiorem in his honoribus tuendis adhibere diligentiam debes. Et quidem de iſto genere honorum quid ſentirem, ſcripſi ad te antè. Semper eos putaui, ſi vulgares eſſent, viles: ſi temporis cauſſa conſtituerentur, leues. Si verò (id quod ita factum eſt) meritis tuis tribuerentur, exiſtimabam multam tibi in his honorib. tuendis operam eſſe ponendam. Quare, quoniam in iſtis vrbib. cum ſummo imperio & poteſtate verſaris, in quibus tuas virtutes conſecratas, & in deorum numerum collocatas vides: in omnibus rebus quas ſtatues, quas decernes, quas ages, quid tantis hominum opinionibus, tantis de te iudicijs, tantis honoribus debeas, cogitabis.

Id autem eiuſmodi, vt conſulas omnibus, vt medeare incommodis hominum, prouideas ſaluti, vt te parentem Aſiæ & dici & haberi velis.

PHILIP-

PHILIPPI BEROALDI, PRO SCRIBIS AVLICIS ADMONITIO.

DICI *qui cupit optimus bonorum*
Scribarum, & viridem tenere palmam
Inter decurias recentiorum,
Monstrari digito, omnibus placere:
Sit prudens, facilis, bonus, fidelis:
Intra pectora sanctiora condat
Arcanum sibi creditum, nec vlli
Promat, sit modici breuisq; somni:
Nullos difficiles putet labores,
Sit cultor domini frequens palatî,
Primus ventitet, vltimus recedat:
Sit rerum veterum ac recentiorum
Thesaurus probus, atq; litteratos
Scribat versiculos, epistolasq;
Facundas, nitidas, breues, apertas,
Crebris sensiculis scaturientes,
Nullas stultitias, ineptiasq;,
Nulla & barbara verba continentes;
Sit velox manus, expedita lingua,
Quæ nunquam calamum moretur acrem:
Huic sit vita seuera, sermo comis

Vrbano

Vrbano sale, & Attico lepôre
Fartus, non sine sanctitate auita:
Verbosi fugiat notam malignam,
Paucis expediens agenda verbis.

IDEM PRO CANCELLARIIS.

CANCELLARIVS, *(vt recentiori*
Scribas nomine nuncupem vetustos)
Dici qui cupit, & cupit videri,
Perfectißimus omniumq; Princeps:
Hic nil falsiloquo loquatur ore,
Nec sit Polypus aut rapax Celæno:
Nummos exigat à cliente paucos,
Subscribens precio leui libellos,
Nec lucrum petat inde, sed lucello
Contentus tenui, paret fauorem
Maiorem sibi, pauperum, minorum.
Talis si fuerit repertus vsquam,
Qualem rusticulus canit libellus,
Nostra hunc tempora diligent, probabunt,
Hunc & secula posteriq; dicent.

SIMON

SIMON SCHARDIVS I. C.

IN VITA PETRI DE VIneis, Epistolis eiusdem præfixa.

Etsi nec in Friderici (II.) Imperatoris factum, tale in Petrum Cancellarium exemplum statuentis, nec in huius innocētiam, de qua exigua argumenta apud Historicos extant, diligentius inquiro: tamen minimè ab historia vtriusq; alienum fuerit meminisse, sæpe etiam viros fide & innocentia præstantes, gratia Regum ac Principum quam sibi benefactis peperissent, minima occasione lapsos, atque in falsam suspicionem vocatos, vitæ periculum subijsse; vt omnium gentium historiæ abundè testantur.

Quantus vir Parmenio apud Alexandrum fuit, tamen optimus senex tam de patre, quam filio Rege, præclarè meritus, cum filio Philota miserabiliter necatur?

Eusenidem tanta apud Ptolemæum Regem gratia florentem, vt nihil ad eam accedere

cedere posse putaretur, Rex cum muliere à se adamata colloquentẽ deprehendens, ante ædes eius, veneno poculo extinctę, stulta Zelotypia suspendi iubet.

Alcimenides, referente Plutarcho, Pannonianum in tantum fastigium euectum, vt solus regni negocia, magno cum Reipubl. commodó atque honore administraret, locum venationis, ibi, vbi ipse assereret, esse negantem, præcipiti ira accensus, eôdem ductum capite truncat.

Philippus, Rex Macedonicus, Aratum Sicyonium, virũ sapientia, iusticia ac moderatione insignem, cuius consilio multa præclare gesserat, vna cum filio, veneno tollit.

Valentinianus Imperator, Aëtium præstantissimum Ducem, cuius opera ingentes Attilæ copias in campis Catalaunicis profligârat, falsa suspicione motus interimi curat.

Et quas Iustinianus in celeberrimum sui temporis Ducem Bellisarium caussas sæuitiæ alias, præter falsas suspiciones habuit, cum eum post deuictos Vandalos, ac Persas, omni dignitate oculísque priuatum, ad stipem mendicandum compulit?

Iustinus quoque, Iustiniani successor, non alijs caussis, quàm falsis suspicionibus, inductus, Narsi Parsamenio summo Duci, cum Italiam sedecim annos magna dexteritate rexisset, imperium abrogat, durius cum ipso acturus, si ad pensa in gynæceo absoluenda redire, quam Neapoli priuatus viuere maluisset.

Prætereo hic libens Seianum, Paulianum, Cleandrum, Eutropium, & alios, quorum prior apud Tyberium, alter apud Seuerum, tertius apud Commodum, vltimus apud Theodosium secundum, Imperatores, summa gratia atque potentia cum valuisset, omnes inconstantiæ fortunæ aulicæ, magis diuino iudicio, quam Imperatorum suorum culpa, pessimi sycophantæ, exemplum fuêre. Sed priorum fortuna, quæ innocentia probata, ac cum ingratitudnis aulicæ exemplo coniuncta est, ob oculos proposita, agnoscamus, Pindarum Pythiorum hymno quarto, verissimè scripsisse : hoc ferè accidere viris de Repub. benemeritis, vt pro beneficijs pessimam gratiam auferant : cùm, vt diem alibi inquit, antiqua gratia facile dormiat, & homines sint immemores : simulque recordemur, potentũ familiaritatẽ peri-

culosissimam. Quia cum velint excellere & coli, nec quisquam adeò circumspectus & cautus sit, vt non interdum aliquid dicat, aut faciat contra eorum voluntatem, facilè offenduntur, & offensi, spe & opinione multorum citius, cupiditati vindictæ frenos laxant. Imó, quemadmodum in vulnere prius apparet sanguis, quàm plaga; & quemadmodum prius emicat fulgur, quàm tonitru audiatur: Ita ex sententia Plutarchi, apud Tyrannos, hoc est, (interprete Erasmo) Principes ferè omnes, prius erumpit condemnatio, quàm probatio, & perijt delatus prius quàm coarguatur. Vnde veteres Græci, referente Suida, rectissimè præcepêre: ἄλευ ἀπὸ μείζονος ἀνδρός: Maiorem vitato virum. Et Salomon Prouerb. cap. 23. idem admonens inquit; Cum sedes vt comedas cum potente, sis cautus, & ponas cultrum in gutture tuo, vt serues animam tuam. Et idem non sine graui caussa dixit; Iram Regis, nuncium esse mortis. Extant quoque ea de re aliæ admonitiones, hinc inde, non tam poëticæ, quàm politicæ, vt;

Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
Expertus metuit.

Item:

Item:

Vsibus edocto si quicquam credis amico,
Viue tibi, & longè nomina magna fuge.

Nec illa Senecæ præclara sententia omittenda est,

Stet quicunq; volet potens,
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis saturet quies.

Et quidem hæc ita vera sunt, vt qui velit huius commonefactionis exempla, non solum ea in historijs superioris ætatis facilimè inuenire, sed & ad Aulas potentiores oculos circumferens viua exempla intueri possit. A quorum commemoratione cum ob alias caussas, tum verò & hanc libens abstineo; quod ea plures offendi, quàm inconstantiam fortunæ aulicæ ostendi, verear. Ideoq; ea omissa, vice colophonis Plutarchi sententiam in vita Arati subijcio, omnibus gratia & authoritate apud magnates florentibus perpetua memoria tenendam. Amicitiæ (inquit) Regum ac Tyrannorum feruentes ac repentinæ sunt, & ardore quodam amoris subito incenduntur: sed labefactari expugnarique facilè possunt, & veluti ventis inuidiæ, atque flatibus calumniæ, assiduè agitantur.

XENOPHON, IN LIB. I. DE DICTIS ET FACTIS SOCRATIS.

ORABAT autem Deos ſimpliciter, Bona largiri: Deos ſcilicet optime ſcientes, quæ bona ſint. Petentes verò *Aurum*, aut *Argentum*, aut *imperandi* alijs *poteſtatem*, aut aliud quid huiuſmodi, nihil aliud exiſtimabat petere, ac ſi *ludum Aleæ*, aut prælium, aut aliud quid orarent, cuius planè incertus eſſet exitus.

CICERO, IN LIBRO V. TVSC. QVAESTIO.

CVM quidam ex Dionyſij, Syracuſanorum Tyranni, aſſentatoribus Damocles cōmemoraret in ſermone copias eius, opes, maieſtatem, dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, negaretque vnquam beatiorem quenquam fuiſſe, Víſne igitur, inquit, ô Damo-

Damocle, quoniam hæc te vita delectat, ipsa eandẽ degustare, & fortunam experiri meam? Cum ille se cupere, dixisset, collocari iussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo, magnificis operibus picto, abacósque complures ornauit argento, auroque cælato. Tum ad mensam eximia forma pueros delectos iussit consistere, eósque ad nutum illius intuentes diligenter ministrare. Aderant vnguenta, coronæ, incendebantur odores, mensæ conquisitissimis epulis extruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentẽ gladium è lacunari seta equina appensum demitti iussit, vt impenderet illius beati ceruicibus. itaque nec pulchros illos administratores aspiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in mensam, iam ipsæ defluebant coronæ, denique exorauit Tyrannum, vt abire liceret, quod iam beatus nollet esse.

MARCEL. PALINGENIVS,

In Leone.

NAM qui summa tenent rerum fastigia Reges,
Sollicitudinibus maioribus, atq; tumultu
Iactantur grauiore quidem; Sed vulnera vulgo
Tanta latent, tacitiq́; gemunt, celantq́; dolorem.
Adde aliud quoque, quod cruciat comes improbus ipsos
Assiduè, metus atq; timor: Suspectaq́; eisdem
Omnia sunt. hinc insidias, hinc dira venena
Concipiunt, soli nec possunt ire, nec audent.
Nec sine fas illis prægustatore comesse.
O bona libertas precio precisior omni,
O summū primumq́; decus, qua prorsus ademptæ
Nil gratum, nil dulce viris, & viuere mors est.
At pauper nocte atq; die securus vbiq; est.

Idem in Tauro.

—gratius ouo
Et cicere est vesci, atq; famem compescere porro,
Nautæ aut fossori; quam Regibus & Reginis
Quicquid terra ferat lauti prandere, vel vnda.

CICERO,

CICERO, IN LIBRO III. DE LEGIBVS.

NOn tantum mali eſt, peccare Principes, (quanquam eſt magnũ per ſeipſum malũ,) quantũ illud, quod permulti etiam imitatores Principũ exiſtunt. Nam licet videre, quęcunq; mutatio morum in Principibus extiterit, eandem in populo ſecutam. Nobilium enim vita victuque mutato, mores ciuitatis mutari ſolent. Nec ſolum vitia concipiunt ipſi Principes, ſed ea infundunt in ciuitatem: Neq; obſunt, quod ſolum ipſi corrumpuntur, ſed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo, quam peccato nocent.

Hinc recte Martialis ſcribit ad Domitianum, Epigrammatum lib. 9.

NEMO SVOS (HÆC EST AVLÆ NATVRA POTENTIS)
SED DOMINI MORES CÆSAREANVS HABET.

Et Claudianus de 4. Honorij conſ.

----componitur orbis
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quam vita regentis:
Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.

DIVERSI
ALPHABETVM AVLICVM GRÆCVM.

Αὐλῆς φαινοπροσωποῦς ἐπιδήμιος εἴκων.

A υλὴ ἀπειροκάλων ἀνδρῶν ἀγερωχὸν ἄγημα.

B αττολόγοις βουλῆσι βίον βιόωσα βέβηλον.

Γ λώσσαργος, γλαφυρὴ, γλυκύφωνος, γοργοπρόσωπος.

Δ ωροδόκος, δεινὴ, διαδημοφόρος, δολϊόφρων.

E κγονος ἐλλέγχων ἐείδων, ἔμπληκτος ἔρωτι.

Z ἄπλουτος, ζαμενὴς, ζωοφθορίην ζητοῦσα.

H δονοπλὴξ, ἡρωοφάνης, ἠνθισμένη ἥβη.

Θ ηρομανὴς, θύρη, θρασύδειλος, θαυματόεργος.

I μερτοῖσιν ἰσῶπις, ἰυγγοτρεφὴς, ἰταμόφρων.

K ηροφόρος, καπυρὴ, κλεομῆδις, καλλιέπεια.

Λ αγνὴ, λειοδιαιθέιμων, λαμυρὴ, λαθέταιρος.

M ισθοπ ιθυμήτειρα, ματαιὴ, μαλθαροεήμων.

N ωθρὴ, νηκέσοισι, νομίῳ νύσοισι νέμουσα. (μός.

Ξ ύμφορτος, ξείνων ξυνεπισφθάρτων ξυναγερ-

O γκώδης, ὀνόσανδρος, ὀφειλέτης, ὀβριμογνώμων. (ρίεργος.

Π αντοτρόπος, παρασιτόφιλος, πολύθρους, πε-

P ηξίνομος, ῥαδινὴ, ῥαψωδὸς, ῥητορόμϊκτος.

Σ απρόλογος, σκαιὴ, σκολιόμυθος, σινάμωρος.

T ρυξίβιος, τιμαλφὴς, τρωξιδρωτοπενῆτις.

Υ βροφυὴς, ὑψηλόφρων, ὕπνηλος, ὕπουλος.

Φ οιταλέη, φαύλη, φιλοκερδὴς, φαντασιώδης.

X ρυσοβαφὴς, χαριτόγλωσσος, χαίρουσα χλιδῆσι.

Ψευ-

Ψ ευδάργελος, ψεδνὴ, ψοφοειδὴς ψελλιόκοσμος.
Ω αζυσ' ὠμὴ, ὠταλγὴς, ὠγυγιόφρων.

ALPHABETVM AVLICVM LATINVM.

PROOEMIVM.

OMNIA *ne paucis præconia versibus Aulæ,*
Comprendi charta nec potuere breui,
Qui tamen ista leges, quibus insigniuimus Aulam,
Præcipua è multis nomina vera leges.
πάντα γὰρ ὐκ ἄντωσκαταλέξης, κἂν ἐπίκυρυ-
στοιχείων ἀρχάσ ἀκροθετῆς ἀτόμων.

A *ula profanatæ sedes aptißima menti.*
B *ullatis gaudens titulis, spe diues inani.*
C *onsilijs inimica bonis, contraria vero.*
D *elitijs prægnans, hamata fertilis esca.*
E *rrorum speciosa domus, fraudisq́; malignæ.*
F *ortunatorum speciem mentita locorum.*
G *loria ventosis quam tollit in æthera pennis.*
H *umanos simulans conficto lumine vultus.*
I *nuidiæ atq; odij diro suffusa veneno.*
K ενταύρων δεινῶπις ὁμήγυρεις αἰολοδέρμων.
L *udorum quærens varias ignaua latebras.*
M *uneribus dextras obuertens semper apertas.*
N *omina falsa gerens fucosæ subdola laudis.*
O *mnia lætificæ referens ad gaudia Vitæ.*
P *rincipijs vt blanda suis, ita fine molesta.*

Quarta

Q uarta tribus Furijs soror addita Terpsiepia.
R egnorum ostentans elata insignia dextra.
S orte potens, vera nulli ratione benigna.
T emporibus confusa, sine ordine, mobilis, exlex.
V irtutem simulans, vitiorũ immersa profundo.
Ξ υσόβιος τε καὶ οἰνόφλυξ, τεθαλυῖα τάλοιφῆ.
Υ λομανὴς καὶ θηρομανής τε καὶ ἱπποδάμεια.
Ζ ωῆς τ' ἀργαλέης μέθοδος, καὶ ταντάλου ἄλσος.

ALIVD.

A ulæ eadem est omnino fides, quæ mobilis aura,
B landitur, sed post mordet, ceu Scorpius, Aula.
C onsilijs raro melioribus vtitur Aula.
D issimulet, regnare diu qui poscit in Aula.
E xulat Integritas, Probitas, & Candor ab Aula.
F erre moras, iram frenare, docemur in Aula.
G rande † decus ridere bonos censetur in Aula. († Aliâs Sophos.)
H orrent vera loqui, cupiunt qui crescere in Aula.
I nuidiam qui ferre nequit, discedat ab Aula.
K yrie, qui senuêre, canant Eleïson, in Aula.
L anguent virtutes, regnat scelus omne per Aulã.
M uneribus mentes hominum capiuntur in Aula.
N ugas Aula leues, & fumos vendit inanes.
O cia quisquis honesta cupit, discedat ab Aula.
P orta Erebi in terris Aula, & tua Tantale pœna
Q uæstus adulari, & mẽtiri primus in Aula. (est.
R ara auis in toto vere pius Aulicus orbe.
S inceris, & simplicibus, Væ semper in Aula.

T ur-

T urpe senex & inops quādo incolit Aulicus Au-
V itæ difficilis methodus bene dicitur Aula.(lam.
X anthe retro ibis, erit quādo constantia in Aula.
Y dra Aula est, capitū multorū, horrēda Venenis.
Z enones fatui sunt atq; Thrasones in Aula.

Incerto autore:

Ferre moram, moderari iræ, contemnere risus,
Dura pati, cunctos Aulica Vita docet.

Et;

Regum sollicita quicunq; senescit in Aula,
Aut fuit, aut semper postulat esse miser.

ARGVMENTVM AVLAE SYLVIANÆ ET HVTTENIANÆ AD

Hieronymum VVitzendorff, patricium Lunæburgensem.

HENRICI PETREI HERDESIANI.

NOn VVitzdorffe malos ausim defendere mo-
Ac sordes, nugasq; leues mutabilis Aulæ.(res.
Ah leuis est, Vitæq; suæ, veræq; salutis
Prodigus, errabunda subit qui limina Regum,
Seq; feræ dubijs ambagibus implicat Aulæ.

Ocia

Ocia sunt potiora domi, quam seria Regum
Militiæq́; domiq́; referta negocia curis.
Aedibus in proprijs si res tibi certa, quiesq́;,
Inq́; Aulam nec fata trahunt, nec cogit egestas,
Ne te sponte malis socium regalibus adde,
Nec res arbitrio proprias committe potentum.

Vtilior multis Aula, Regumq́; coronis,
Caula fuisset iners: satis hæc: VVitzdorffe, superq́;
Ostendunt Veterum casus, & fata recentum,
Mirandæq́; Vices Procerum, Regumq́;, Ducumq́;,
Doctorumq́;, Equitumq́;, ferox quos Aula rotarum
More rotat, iucunda rudi spectacula Vulgo.

Non Animi, non Fortunæ, non Corporis
Aula
Largitur Bona, sed perdit. non donat Honores
Diuitiásve Pijs stabiles, sed semper hiantes
Detinet, euentuq́; bonos eludit inani.

Non, nisi deceptus, quisquam Sapientior Aula
Exijt, heu magno talis Sapientia constat.

Non Robur, Viresq; tuas, non commoda Vitæ
Auget, at eneruat, tollitq́; Volubilis Aula.

Non aliunde minus constans & vera Voluptas,
Quam dubiæ miseris venit è penetralibus Aulæ.
Plura dolenda vident Oculi, quam grata: minusq́;
Lætitiæ veriq́; piæ captabitis Aures
Quam falsi prauiq́;, diu quas Regia lactat.
Quam vero tetros hæc bellua spirat Odores,

Quam nil læue bonis Tactu, *nil suaue relinquit*
Gustatu, *quamuis tot alat Ventrisq; Gulæq;*
Seruos, & tantos Epicuri de grege porcos.

Qui morbos, & acerba fugit dispendia vitæ,
Culmina Sæua Ducum fugiat, Regumq; penates.
Qui volet esse pius, qui sobrius, impia non hic,
Ebria non intret penetralia futilis Aulæ.
Qui volet esse suus, rigidæ qui se dare non vult
Mancipio Dominæ, Seruæ ne seruiat Aulæ.

Lene quidem Iuueni Virus, tacitamq; propinat
Dulcis amariciem Lethes. Vultusq; serenos
Porrigit, ac nutus præbet, dextrasq; benignas.
Tum blandas SIRENAS *habet, quæ protinus ore*
Arrident, faciliq; trahunt in limina cantu.
Ast vbi contigeris penetralia, plena ferarum
Omnia, monstrorumq; vides, rigidosq; Gigantes,
Cyclopasq; truces, & Semiuiros Centauros.

Non vllo tot mõstra freto, Scopulive, nec imbres,
Infestant Nautas: non sic Eurusq;, Notusq;,
Non Zephyrus, Boreasq; mari bacchantur in vllo.
Vt Boreasq; Notusq; fera bacchantur in Aula.
Aula fretum, gurgesq; vorax, vbi sæua CHARYBDIS,
Et SCYLLÆ *rabies monstrosa, Virosq; Ratesq;*
Deuorat. hoc nantes quot cernis in Aequore, quos
Pœnituit vere, sed sero, flebilis Aulæ. (*iam*

O fortunatum, Mare qui tam flebile nunquam
Nauigat, experto credens: insignia gentis

Rastelli

Rastelli Vuitzdorffe tuæ, probitatis auitæ
Indicium, moneant placidis te viuere terris,
Non tumidos innare lacus, vndasve marinas.
Nónne coles sapienter agros, & sobria Villæ
Rura tuæ, si vel clypeum, vel nomina gentis
Pulcra tuæ, crebrasq́ vices respexeris Aulæ?
Audi quos vsus docuit, rerumq́ magistra
Aetas, & cautos quos experientia fecit.
Audi age facundo monuit quæ Syluius ore
Aulicus, Huttenusq́ tonans, & clarus Erasmus,
Dum tumidam viuis pinxêre coloribus Aulam.

Dicite facundi mea dicite cura Poëtæ,
Tum varios Aulæ casus, & fata Potentum
Irrequieta, boni tum dona salubria Ruris,
Et Phœbi, comitumq́ nouem tutissima diuis
Ocia cum Nymphis, nobis diuina Maronis
Musa Ducum memora curas, fastumq́, metusq́,
Et fortunatos solis dic optima syluis
Agricolas, sua priuatim qui commoda norunt.

AD D.

AD D. DANDINVM, EPISCOPVM FOROC. EPISTOLA ANTONII FVCHS: QVAM communicauit nobiscum eruditissimus B. Vulcanius Brug.

QVOD te interpellē nugis, dū publica tractas
Munera, & ingenti rerū molimine anhelas,
Des veniam, vel te culpes, Dandine, necesse est:
Qui mihi dum comis nimium, nimiumq́ benignus
Das faciles aditus, epulis & diuite mensa
Excipis, hos à me malè sanos elicis ausus.
Contra alij quidam bifida qui tempora mitra
Cingunt, congressus fugiūt, turbamq́ precantem
Colloquijs arcent centeno poste, ministris
Et totidem oppositis: quod si, cum maxima rerum
Postulat hoc moles, precibus vel munere nouam
Irrumpas, decimæ truderis limine portæ.
Tu facile ingenium natura, mitius arte
Efficis: hinc casu aduerso tristaris amici
Non secus atq; tuo, curis & frangeris ijsdem.
Hoc tibi me cogit caussas exponere, quare
Sortiti dominum clarum natalibus, annis,
Fortunis, animo illustrem, virtutis amicum,
Post sextum mensem Roma discedimus. hoc tu
Forte malum ducis; nos contra, si vacat, audi.

Me pater haud vilis, susceptum coniuge honesta
Primum natorum sex, vix fantem & pede firmo
Tentantem gressus, semotam ablegat in oram:
Scilicet vt possem, post prima elementa, Latinum
Et Graium pelagus certa sulcare carina.
Euentus poterat voto arridere, quod essem
Ingenio haud prorsus stupido, cum quatuor annos
Atq; decem nato rapuit libitina parentem.
Inde domum rediens cesso, lustrumq; supinè
Traduco; post me patruus patria expulit, atq;
Ticinum misit, tabulis incumbere bis sex
Iussit, scita decem queis sunt inscripta virorum.
Hic ego sub claris posui rudimenta magistris
Militiæ, impleuiq; nouem stipendia, post quæ
Emeritus mittor, donatus cum rude lauro.

Post hæc in patria, turba comitante clientum
Dum caussas agito, & defendo, iura popello
Tetrica responso, non parua pecunia, verùm
(Quod maius duco) mihi gratia quæritur ingens.
Hinc legor & Populi sanctiq; ex mente Senatus
Qui lustrum condam, qui scribam ciuica iura,
Iudicio & præsim. Post nostra missus ab vrbe
Legatus, faciles lassaui Cæsaris aures.
Quid quæris? proprias timido dum proÿcis ore
Laudes, hac poteram fortuna viuere lætus,
Ni mihi, ceu stipulis ignis, iniecta fuisset
Ambitio, nobis dum proponuntur honores,
Atq; aurum, dum tu occurris pariterq; Maphæus,

Atq; alij pauci qui orbis tractatis habenas.
Nec merita expendo, curas, tantosq; labores,
Insomnes quæ vos cogunt traducere noctes.
Captus opum tantùm splendore, & lumine claras
Ceu Satyrus quondam flammas exurere sensi.
Si mihi non stabat Parijs suffulta columnis
Regia, nec sensus fallentia marmora, saltem
Culta domus fuerat, tenuis, sed munda suppellex,
Qua exciperem insignes homines ex classe secũda,
Communis queis nostra fuit semper domus & res;
Et census paruus, certè & sine crimine partus.
Ire salutatum nos atria nulla potentum
Cogebant, multa cum limina nostra salute
Feruerent, fuit & comitum lectißima turba,
Quos nobis mores studium & par iunxerat ætas.

His ego gaudebã, Domini cum nomine Romam
Euocer. haud credo: sed te vult: me vocat ille?
Sic est. at ludis: quid enim stupidi atq; pusilli
Me ingenij cupiat tantus rex? est ita me? inquam.
Tertia deinde venit: nuto: sed epistola quarta
Expugnat: quis enim multis magnisq; repugnet
Promißis? mitto quæ sors sperare iuberet.
Ex illo & patria & comites sordescere nobis
Cœpêre, & fastu sensim turgescere pulmo.
Hinc tumidis ducens ingentes follibus auras
Omnia magna sono, Reges, diademata, mitras.
Ante oculos stat Roma mihi noctesq;, diesq;,

Hæret Roma oculis, in somnis cernimus arcem,
Rostra, Theatra, forũ, Saturni Templa, Suburrã.
Flentibus hinc socijs tandem discedimus, armos
Argento grauida nobis lassante crumena.
Omina dũ propero, retinent me: in limine primum
Offendo, valuisq; lacinia vestis adhæret.
Claudicat alter equus soleis offensus, ab alta
Ilice parra canit, læua occurrit lepus, anguis
Rumpit iter: pluuia altisq; erumpentia ripis
Flumina nos tardant: properauimus attamen, &
Iratis magnæ perueni ad mœnia Romæ. (Dijs
Hic Dominus, quòd erat curarũ turbine magno
Oppressus, serò me admittit ad oscula dextræ,
Excipit, & paucis verbis, & fronte serena,
Quæ nutantem animum firmarent: inde suorum
Scribimur in numero: sed bina cubicula primùm
Conducenda mihi, stabulum post, deinde culina,
Quæ quater vndenas nos cogũt pendere drachmas
In mense: at Dominus promisit. ferre necesse est.
Vnus ait, multo quod regia plena cliente est.
Si dispensator iubet, hospitijve magister,
Chironomo, scurræ, productori aut cytharœdo
Assurgam: quid enim? pereat ne sportula, quippe
Tres nobis numerat nummos mercede diurna,
Cum pueris & equo; hinc quærenda caro, hinc olus, hinc sal,
Hinc oleum, scombri, pernæ, vilesq; faseli.
Odit enim lepores, turdos, conchilia, mulos,

Mensa mihi & pueris communis sportula quamuis
Sit tenuis, quæ vix lichnum præbere lucernæ
Sufficiat, nobis nunquam datur integra; auaro
A quæstore aliquid semper corraditur, vltrà
In primo quod nulla mihi sit reddita mense.
Præpositus stabulo Domini, negat hordea, fœnũ,
Et stramen. negat ille mihi? negat improbus, ardet
Intus bile iecur, descendo ad iurgia. tandem
Post quartum mensem vilem metitur auenam,
Et putridum culmũ, pudeat quem sternere, & illa
Quæ in paleas vacuas, & purgamenta recedant,
Si cribro excutias. non aßignatur equulis
Aut locus aut statio. post tres Cellarius horas
Dimittit puerum tandem, redit ille lagena
Dimidia, verum sic diluta, vt mihi Tybris
Fluctuet in stomacho, cum credo hausisse falernũ.
Hic ego tot paream dominis, tot peßima liber
Facta feram? semper me impune à poste repellat
Ianitor implumis, rosea facie, cute leni,
Cirrataq; coma? si non distringimus enses
Fulmineos, liceat genuinum frangere more
Inuiti, generet rabies ne pressa venenum.
Mitto quanta tuli, patiarq; incommoda: mane
Summo prosilio stratis, & currimus vsq;
In Vaticanum, pluuijs seu solibus æther
Sæuiat; hîc stantes aliquot consumimus horas,
Vt Dominũ videam, quem claudũt ostia centum,
Atq; aditus centum: populis vt præbeat aures,

Egreditur tandem, quem nos veneramur aperto
Et capite, & genibus flexis: dum quisq; videndum
Proponit sese, impellor, turbæq; procella
Iactor. postremus tum ne sim, viribus, ausu
Et cubito rumpenda via est. si forte vehatur
Aut mulo aut Rheda, raptim sequor, ilia equorum
Tundens: post redeo perfusus pallia cœno.
Postea cum Dominus discumbit, stans ego contra
Illi me oppono, vt si tollat lumina mensa
Me videat, lustroq; oculis si forte beatum
Me obtutu faciat, si me seruire parato
Vtatur, si sponte aliquid mandet iubeatúe.
Sed frustra ante oculos versamur; namq; secũdus,
Tertius, & quartus mensis mihi labitur, atq;
Post quintum sextus, cum nec mandata, nec vllum
Accipio à Domino verbum: comis tamen ille,
Omnibus arridere, ioco perstringere, & vltro
Compellare: tamen solus dimittor, vt ille
Quem vel religio, aut morbus congreßibus arcet.
Hinc nos sollicitant curæ, indignatio flammas
Excitat, & rabies fundit nigrum ore venenum.
Ergo ego, qui vt scribam, aut responsem ciuica
Euocor, hic tandem spectator Laocoonti (iura,
Seruio marmoreus; præceptis Pythagoræis
Vincior: Harpocratis factus sum ad templa sacer-
Debebas illum tu compellare: egóne illi (dos.
Quem tantæ exagitant curæ, quem tanta fatigat
Congeries rerum, me ausim præbere molestum?

Excivit:

Exciuit; veni, sto coram; me videt omni
Luce, vel inuitus: tu Saulius atq; Maphæus
Et Iouius profertis me, respondet at ille
Comiter, est cordi, memini, cum tempus erit tunc
Accersam & cesso. tentem Dandine quid vltra?
Quid faciam? patere. hic nobis plus deperit vno
Mense animi cultus, quàm quod profecimus anno.
Euolat è loculis æs, curis vrimur, vltra
Quod mihi religio est, domini consumere fruges
Segniter, & lecto atq; epulis traducere luces.
Rusticus Aufidius conducti cultor agelli
Assuetus glebas curuo versare tridenti,
Et segetes sarrire, boues & iungere, multo
Dum frangi interdum sentiret membra labore,
O fortunatum, dicebat, cui datur vrbem
Incolere, & duri vitare incõmoda ruris. (vrbem;
Sors fauit, vocat hunc quidam Heros magnus in
Accurrit turgens spe, atq; ambitiosus honorum
Delitijs capitur, thermas & compita lustrat,
Atq; forum: sed dum Dominus nil imperat illi
Oscitat, & vacuus cessat, luditq; canitq;,
Multa dies tamen & superest, tunc ocia damnans
Vrbis, conqueritur tardos procedere soles.
Hinc sese incusans quòd vitam ferre priorem
Nescisset, dominum conuenit. me mihi, dicens,
Me mihi redde precor, vita ne frangar inerti,
Et menti & neruis obducant ocia callum.
Ne si forte tibi inuisum me fecerit ætas,

Atq; tuis domibus migrandum ſit mihi, ſerò
Præteriiſſe dies doleam, quòd ruſtica nobis
Ars pereat, nequeantq; aſſueſcere membra labori.
Sic mihi; ne ingenium, aßiduo quod vomere flexum
Vix ferat exiguas fruges, ſi ceſſet opella,
Ad ſteriles redeat ſtipulas; ſecedere præſtat.
Nam dum me culpas, accuſo quod nimis audax
Huic tanto ſeruire viro me poſſe putaui;
Fortunamq́; meam damno, quæ neſciat vti
Oblata re. num culpem? at quis mitior illo;
Munificusq́; magis? cum fulgeat omnibus æque
Sol, ſi dureſcit cœnum, ſi cera liqueſcit;
Num potius ſolis radios accuſet, an ipſam
Naturam, quæ non valeat dureſcere? comis
Omnibus eſt Dominus: negat hoc quis? ſed mihi (noſtrum
Peccatum fateor) nimis eſt durus, grauis, aſper.
Has Dãdine putes cauſſas, quod linquimus vrbis
Mœnia, & armato ſtimulamus calce caballum.
Falleris. vt mittam, quod cura domeſtica dudum
Me vocat, vt niſi creſcat, ſaltem ne pereat res;
Vrget me maior ratio: nam cura ſalutis
Et vitæ nobis præponitur ambitioni,
Atq; opibus, licet illa aliis ſit vilior alga.
Eſt mihi cura ideo lethi eripienda periclis.
Siue cibi vitio, ſeu cœli, ſiue falerni
Eueniat, ſeu fortè animis illuſtrior aër

Hic

Hic solitus, nutrire negat vires; & vti nos
Degeneres, ego semper torqueor atq; laboro
Et stomacho, & capite; hoc semper vertigine circũ
Voluitur, atq; grauis hesterna pondere cœnæ.
Assiduo turget: iam septima præterit hora
Cum marcessit adhuc: saltamus, currimus, at nil
Proficimus: si sit cœnandum, fercula sordent
Languenti stomacho, haud obsonia lauta palato.
Respondent, digito in guttur ceu pharmaca cœnã
Farcio, viuendum quoniam est, & pondere pondus
Tendimus. hinc macies artus, hinc occupat ora
Pallor, tabescunt sensus, croceæq; pupillæ
Caligant, crudósq; cibos tussi excreo anhela.
Sic ego qui vaccas auitas, proauosq; Elephantes
Possem cõcoquere, offa nunc, medio & grauor ouo.
Contempti augentur morbi primúsq; minatur
Exitium. si nos paulum præcidere caussas
Differimus lenti, quas non lenire valerent
Pharmaca, vel succi, medicinæq; autor Apollo.

Viuere commoditas magna est, summumq; bonum; ergo
Sedandæ ingentes curæ, quibus enecor. ipsi
Quod sim despectus Domino, fugienda Quirini
Infamis regio, & cœlum graue, nostra petendæ
Est patria, hæc quod nos dederit vitalibus auris,
Aut alet, aut saltem producet funera: Roma
Discedo, quod vita mihi, quod cura salutis

Haud spernenda fuit: caussam hanc adducimus vnam,
Quam si forte probas tu, Saulius, atq; Maphaeus,
Quos veneror tanquam nostri tria lumina secli;
Non ego curarim, quid latret caetera turba.
Haec Dandine tibi Venusina scripta Camoena
Carmina dictabam, Senis dum sedulus hospes
Curat equos, nobisq; dapes apponit, vt istic
Si quis me accuset, Domino purgare valeres.
Plura loquuturum me pagina deserit, hospes
Sollicitat, comites frigescere fercula clamant;
Ergo vale, inq; tui me scribe volumine sensus.

Di Siena alli Sette di
Giunio Gio. Antonio Volpe.

THO: NAOGEORG.
LIB. II. REGNI PAP.

—— Tota papalis
Curia gratuitos famulos amat; adq; tenendum
Promtior ac dantum est: & luxu mille ducatos
Profusos nauci facit: at, iam frigore pene
Contracto tunicam famulo, vel reddere chlanam
Iacturam censet.

LAZARI BONAMICI BASIANI AD VRSINVM VELIVM EPISTOLA.

Longum post tempus mihi dulcis epistola tandem
Reddita, quæ Vrsini testata est pectora docti,
Pectora mellifluo Musarum plena liquore;
Seu tempestatem, turbantibus omnia ventis
Inuidiæ, miseras quæ sese effundit in Aulas,
Fortunatorum Syrtesq; sinusq; latentes
Dicat, & insanos moneat vitare tumultus;
Tranquillæ contrà seu scribat, vt ocia vitæ
Ducantur, si quis contentus viuere paruo
Magno petat, veràsq; & nulla labe caducas
Quærat opes, superis æquans se (qua licet) ipsis.
Horum si in numero rectè me ponis Amice,
Ipsum etiam (si fas) videar superare tonantem
Nedum fortunas Regum, mens anxia quorum
Huc illuc rapitur curarum turbine cæco,
Et, cædes & stupra agitantes corde, feruntur,
Quocunq; instabiles trahit imperiosa libido.
Et fortunam horum tamen admiramur inepti:
Purpura sed si quæ tegit, & gemmata Tyara,
Proferat, inq; aliquis Deus hæc exponat aperto,
Sæpe volutabris rediens vt conspicitur sus,
Sic illi immundo sordescunt vndiq; cœno.

Hic Velius, natione Silesius, Poëta & historicus insignis Oratoriam docuit Patauij: ac deinceps Maximil. II. adolescentem instituit; tandemq; amni suffocatus obijt.

Dissi-

Dißimiles Regum quorum iam vidimus artes,
Pacare Italiam, vestras componere lites,
Moliri aduersus bellum lachrymabile Turcas.
Quos ego, si quando medijs Germania campis
Armipotens Asiæ victricia castra locârit,
Constituens magnũ communi ex hoste trophæum,
Non patiar nostris Graijsq́; abolescere chartis;
Et tibi me socium adiungam, simul auia montis
Parnasi, simul & lustrabimus omnia prata,
Carpentes geminas selecto è flore coronas.
Interea antiquæ Pataui consedimus vrbi,
Inter Aristotelis syluas, doctiq́; Platonis,
Inter ab Arpinis currentes fontibus vndas;
Et modo tractamus fortis Demosthenis arma;
Nunc audire iuuat cantantes carmina Cygnos
Propter aquas Smyrnes, propter vaga flumina Minci;
Curantes solum quò se studiosa iuuentus,
Perculsa ingenij, famæ, & virtutis amore,
Eximat è vulgi tenebris, celiq́; per auras
Vecta Deûm degat felicem nectare vitam:
Quod decet exoptans, naturæ arcana retexens,
In queîs nemo mihi potior, sublimia primum
Quem iuga Parnasi cupiam conscendere, noster
Quam Logus, ingenio cum sit spectabilis acri,
Candentiq́; vide, tua cum perfusa lepore
Dulcisono hunc tantum cõmendet epistola nobis.

TITVS

TITVS LVCRETIVS, IN LIB. V. DE RERVM NATVRA.

Condere cœperunt vrbeis, arcemq; locare
Præsidium Reges ipsi sibi, perfugiumq;:
Et pecudes, & agros diuisêre, atq; dedêre
Pro facie cuiúsque, & viribus, ingenióque:
Nam facies multum valuit, vireisq; vigebant.
Posterius res inuenta est, aurumq; repertum,
Quod facilè & validis, & pulcris demsit honorem.
Diuitioris enim sectam plerunq; sequuntur
Quamlibet & fortes, & pulcro corpore certi.
Quod si quis vera vitam ratione gubernat,
Diuitiæ grandes homini sunt, viuere parcè
Aequo animo: neque enim est vnquam penuria parui.
At claros homines voluerunt se atq; potentes,
Vt fundamento stabili fortuna maneret,
Et placidam possent opulenti ducere vitam,
Nequicquam: quoniam ad summum succedere honorem
Certantes, iter infestum fecere viaî.
Et tamen è summo, quasi fulmen deijcit ictos
Inuidia interdum contemtim in tartara tetra:
Vt satius multò iam sit parere quietum,
Quàm regere imperio res velle, & regna tenere.

Proinde

Proinde ſine incaſſum defeßi ſanguine ſudent
Anguſtum per iter luctantes ambitionis:
Inuidia quoniam, ceu fulmine ſumma vaporant
Plerúnque, & quæ ſunt altis magis edita cúnque.
Quandoquidem ſapiunt alieno ex ore, petuntq;
Res ex auditis potius, quam ſenſibus ipſis:
Nec magis id nunc eſt, neque erit mox, quam fuit
ante.

LVCAE-



LVCAEVS ANDREAS RESENDIVS LVSITANVS,

AD NOBILISSIMVM VIRVM DAMIANVM à Goes, Equidem Lusitanum; ad quem cum aliàs, tum Elegiam 7. libri 3, scripsit etiam Sabinus. Carmen nusquam hactenus impressum.

EXemplo, Damiane, malo, qui primus in Aulam
Duxit Apollineos vates, fecisse videtur.
Attamen exemplo multo peiore Poëtæ
Iudicio fecêre meo, qui Regibus illa
Ocia Musarum spe prodegêre lucelli;
Siue illi adducti, siue irrupêre coacti
Pauperie. quorum vitæ tamen error agendæ
Hoc tolerabilior, quo forsan iniquior ipsa
Sæuijt in quenquam aduerso Rhamnusia vultu.
Ecquid enim miseris suadere domestica pestis
Paupertas non possit? ei nec Apollo negaret
Consultus veniam, veteris nec vallibus Ascræ
Nec bonus Aonidum sacro interdiceret amni.
Ast ego, cui (quanquã non diues, & in tenui rẽ
Sum modo, & ante fui) vsque adeò malè non fuit
vnquam,

Vt saltem vitrei cyathi, purumq́; salillum,
Candida mappa, tripes deesset mihi mensula, &
Copia læta mei, quónam, Damiane, piabo (horti
Thure, quod exosa viuam patienter in Aula?
Cum tamen hic illis, quæ non fortuna negauit,
Suauiter, & curis vacuus bene viuere possim?
Possum equidē, Damiane, tamē me sæua meorum
Sollicitudo premit, quibus vt paulò & decus & res
Fors magis augescat, conieci memet in Aulam.
Ni faciam id clamant omnes, me protinus hostem
Et desertorem consanguinitatis; at illi
Ipsi qui sese desertos esse queruntur,
Si mihi Lar friget, loculis & squalida mœret
Nonnunquam exhaustis raro nidore culina,
Non magis aduertant, ea siue incōmoda præstent,
Quam si alerer ventis, matutináve pruina,
Roréve deciduo. noui experiorq́; subinde,
Et tamen hæc animum induxi perferre patîque,
Nescio quam prudens, certe pius, & pius vltra
Quā teneor; nam nec superest sanctißima mater,
Nec genitor, raptus mihi vix dum bimulus essem.
Ipse autem cœlebs, & Musis aptior orbus,
Non malè vixissem peregrè, quando ocia doctis
Docta viris nunquam dat Lusitania nostra.
I miser, & libros sepeli, contemne Thaliam,
Aula frequentanda est, veniat te nullus in illam
Mane prius, nullus redeat te serius inde:
Fac Regem videas, nec tu nisi visus abito.

Interea

Interea expectans, dum non admitteris intrò,
Illic contracta malas oscedine rumpe
Marcidus, aut vngues cultello rade, nec illis
Qui prope te sedeant, risu si forsitan atro
Quem ridere volent, contrarius esto, sed auge
Non nihil, his ipsis post id fabella futurus.
Hoc tibi sit studium, vita hac adolesce seneq;. (tis,
Dixerit hîc aliquis, benè habet, patet ergo Poë-
Et doctis patet Aula viris; Patet Hercule, sed quid
Prodest? maiestas non vsus quæritur illis.
Et si maiestas non vsus, scire velim, quæ
Emolumenta miser poßit sperare Poëta?
Præter nescio quem forsan splendoris honorem?
Esse puta notum, & Proceres numerarier inter
Vt summum: sed si census tibi desit auitus,
Fortiter esurias. esto tamen Aulicus atq;
Spe blandire tibi, serui spe. spem tere longam,
Lusit at egregios lepidè spes ista Poëtas.
Postquam nummiuori Legum Iurisq; Tyranni
In Regnum & Reges regnum obtinuere, Poësis
Pessum ijt; eloquijq; decus, Sophiæq;, forenses
Vulturij preßere iugo. Res digna perenni
Contigit historia nuper. Non ambigis ipse
Regibus vt faueat, cunctis magis omnibus, vnus
Diuus Ioannes. si præmia ponere doctis
Obscenæ hæ sinerent Harpyæ, hærereq; Vates
Parte in nonnulla humanè paterentur, haberent
Vt vel postremas, primæ queis iure darentur.

Ille suo ingenio in Sophiam propensus honestam,
Quidquid Aristoteles argutus, quidquid amœnus
Dixerat ante Plato, mirè cognoscere auebat;
Vt melius quónam pacto foret ipsa gerenda
Publica res, sciret, consultis vtpote libris,
Fallere quod nequeant, quod non affectibus vllis
Succũbant, quod nil sperent, metuantúe, nec æquũ
Calliditate mala faciant videatur iniquum.
Ergo adsumptus erat, qualẽ decet esse magistrum
Discipuli, cuius diues timet India nutum.
Atq; dies aderat cœptis ingentibus ante
Dictus, & hora, suæ metuens quum prouida parti
Factio, quæ Leges, vili quæ nundinat ære
Iura sacra, irrumpit, & quæ portenta rogabat
Illa forent? Ecquis terræ pelagiq́; potentem
Discipulum faceret? quæ carnificina Sophorum
Tanta erat, vt Reges etiam cruciare tremendos
Auderet? sine fruge? quasi tum deniq; Reges
Vllum operæ facerent precium, Si nomen Acheæ
Dent Sophiæ, aut chartis se tristibus vsq; fatigẽt:
Aut quasi nicomachi, prolésue nemusq; Licæi
Quidquã conferrent, Academi aut villula, præter
Argumentosas nebulas, comitemq́; tumorem?
Esse satis Regi, Iuris Legumq́; peritis
Fidere, regnorumq́; illis committere curam.
Quod si tantus amor studiorum, tanta libido;
Iura legat potius, Sapiens quid Bartolus aiat;
Quidq; sagax Baldus, vehemensq; Accursius. horũ

Quod

Quod responsa trium Phœbei sortibus antri
Certa magis soleat Rabularum credere vulgus:
Deniq; vicerunt, quamuis non quatenus ipsi
Optabant, vicêre tamen secumq; triumphant,
Eualuisse Ducis firmatam obuertere mentem.
Hæc vbi barbaries, vbi monstra, vbi talia morum
Sunt portenta, quibus quantũ libet & licet, vltra
Viuere méne iuuet? Viuat heîc Chælius, vni
Cui vatum placet Aula, decus nomenq; Poëtæ
Quod cupit, amotis habeat riualibus vnus.
Nos Aulæ nostrum hunc certè præponimus Ossan;
Ossan dena mea distantem millia ab vrbe,
Mentitum aspectu faciem Sulmonis aquosi.
Et si seruitio me exire liceret honestè, (tem
Huc ego, quando aliud iam non datur, huc ego sal-
Confugerẽ, & suaues peterẽ mihi monte latebras.
Nunc cerasorum inter locus vmbrosaq; Tempe;
Nunc riguis inter lætos conuallibus hortos
Citriferos errans, in carmina sæpe Bimatrem
Sæpeq; Laotidem in carmina compellarem.
At modo vix toto versum componimus anno,
Et nisi me redimo, video, Damiane futurum
Omnino vt pereat, quanquam non aurea, Luci
Vena tui, certè nec plumbea, me nisi forte
Plus amo, quam credo. & sanè si deniq; tandem
Dÿ facerent, vt me absq; nota leuitatis, iniquis
Eripere his possem fatis, & liber abire,
Non sine me socio, tu nunc Antenoris vrbem

Hic Chælius Poëta in Aula Regis Lusitaniæ fuit, maximus osor Eras. Roterod.

Incoleres: tecum Liuî memorabile bustum
Visere, tecum etiam Patauî lætißima rura,
Aut manno celeri, aut Cisio peragrare volanti
Dulce foret: nunc aduerso me flumine vectum
Vicini Eridani, vatum figmenta notare
Iucunda, Heliades qua diriguisse feruntur
In ripa mœstæ; quánam Stheneleius Heros
Casum infelicis pueri dum fleret, olorem
Versus in argutum, niueas assumserit alas;
Nunc prona Hadriacas Brenta descendere in vndas,
Littoreq́; Euganeo peruestigare Timaui
Hostia, num mânent, extent num montibus illis
Fluminis ora nouem, dio celebrata Maroni?
An magnum vsq; adeò tellus absorpserit amnem,
Vt ne parua quidem superent vestigia? quantas
Voluerit vndarum vasto cum murmure moles?

Hanc, Damiane, putaveram me credere vitam
Vatibus, hanc dignam mentis melioris, eaq́;
Posse via famæ decus immortale parari:
Non inter fumos ventosæ nobilitatis,
Atq; palatinos scurras, vrgere senectam
Morosam ante diem, inuitosq́; accersere canos,
Languiduloq́; pati ingenium sordere veterno.

Hæc tibi de multis summatim peßima vitæ
Fata meæ exposui: quæ me non scribere solum
Verum etiam memorare piget. quæ cautior ipse
Non secus euâsti, atq; olim Symplegada fertur

Euasisse

Euasisse vagam ductor Magnesidos Argus
Quum Phasin peteret: quare non nescius horum,
Desine me infestis posthac agitare querelis,
Si mea, quod nolles, tibi carmina rara ferantur,
Et bonus assuescas tandem ignoscentior esse.

Eboræ ad VI. Calend. Nouemb.
Anno M. D. XXXV.

IOHANNES POSTHIVS, MEDICVS, ET POETA CLARISS.

Ad MELISSVM.

QVI trahere infelix specioso in carcere vitam,
Cunctaq́ dura pati vult sponte, moretur in Aula.
Qui seruis seruire, moram qui ferre recusat,
Seq́ irridendum præbere, recedat ab Aula.
Spemq́ metumq́ inter dubius qui viuere nõ vult,
Omnia qui nescit simulare, recedat ab Aula.
Qui vere esse pius, qui sobrius esse laborat,
Quiq́ valere diu, nociturum deserat Aulam.

Aula locus, fortuna suos vbi lubrica lusus
Ludit, & exaltat nunc hos: nunc deÿcit illos.

Aula Mare *est, quo non aliud furiosius vllum,*
Non, quo naufragium contingat crebrius, vllum.
Aula fera est capitum multorum bellua, seruos
Pessumdans plerunque suos. O terque quaterque
Infelix, fatua quicunque senescit in Aula.
At contra felix ô terque Melisse quatérque,
Ambiguam sapiens iuuenis qui liqueris Aulam.

D. AND. ALCIATVS, EMBLEM. CXIIII.

HEroum genitos, & magnum fertur Achillem
In stabulis Chiron erudiisse suis.
Semiferum Doctorem, & semiuirũ Centaurum
Aßideat quisquis Regibus, esse decet.
Est fera dum violat socios, dum proterit hostes;
Estque homo, dum simulat se populo esse pium.

Idem Emblem. CLX.

Vana palatinos quos educat Aula clientes,
Dicitur auratis nectere compedibus.

EX LAZARI COLERI, IVRISCONSVLTI DISERtissimi, quodam propemtico.

AVla foris picto similis mihi visa libello,
Qui tragicis intus plena dat acta malis.

P.ME-

P. MELISSVS S. IN SHEDIASMATVM RELIquijs Terpsichor.

Splendida magnificis paupertas regnat in Aulis,
Ista domi nostræ subditur, Aula vale.

Idem ibid.

Promtius è silicis venis expressero lymphas,
Aut liquidum è dura mulsero lacte petra,
Debita quam molli prece discutiantur ab Aula
Aera, catenatis Petre ligata seris.

Idem ibid.

AD CONRAD. LEICHT. DE MALLIO AVLICO.

MAgistellus ineptus iste, Leichti,
Stipatus Bacularijs ineptis.
Et Sclauo, Stolidoq; Ruffiano,
Aulicam nucibus scholæ relictis
Vitam proposuit periclitandam.
Vt primordia firmiora constent,
Oblonga Asini tegat quod aures
Vno pileolo caput renodans
Contentus minime est, eoq; duplo,
Ni duplum insuper alterum priori
Imponat, redimiculis reuinctum.
Leichti, quid rogo suspicaris? an non

Est hoc stulticiæ addere insolenti
Multo stultitiam insolentiorem?

THOMAS MORVS, IN AVLICVM GALLICÆ LINGVÆ AFFECTATOREM.

AMICVS *& sodalis est Lalus mihi*
Britanniaq́ natus, altusq́ insula.
At cum Britannos Galliæ cultoribus
oceanus ingens, lingua, mores, dirimant,
Spernit tamen Lalus Britannica omnia,
Miratur, expetitq́ cuncta Gallica.
Toga superbit ambulans in Gallica,
Amatq́ multum Gallicas lacernulas,
Zona, locello, atq́ ense gaudet Gallico,
Filtro, bireto, pileoq́ Gallico,
Et calceis, & subligare Gallico.
Totoq́ deniq́ apparatu Gallico.
Nam & vnum habet ministrũ, eumq́ Gallicum,
Sed quem (licet velit) nec ipsa Gallia
Tractare quiret plus (opinor) Gallice,
Stipendij nihil dat, atq́ id Gallice,
Vestitq́ tritis pannulis, & Gallice hoc,
Alit cibo paruo, & malo, idq́ Gallice,
Labore multo exercet atq́ hoc Gallice,
Pugnisq́ crebro pulsat, idq́ Gallice.
In cœtu & in via, & foro, & frequentia,
Rixatur obiurgatq́ semper Gallice.
Quid? Gallice illud? imo semigallice. Ser-

Sermonem enim (ni fallor) ille Gallicum
Tam callet omnem, quam latinum Psittacus.
Crescit tamen, sibiq; nimirum placet
Verbis tribus si quid loquatur Gallicis:
Aut Gallicis si quid nequit vocabulis,
Conatur id, verbis licet non Gallicis,
Sonoq; saltem personare Gallico,
Palato hiante, acutulo quodam sono,
Et fœminæ instar garrientis molliter,
Sed ore pleno, tanquam id impleant fabæ:
Balbutiens videlicet suauiter,
Pressis quibusdam litteris, Galli quibus
Ineptientes abstinent, nihil secus
Quam Vulpe Gallus, rupibusq; nauita.
Sic ergo linguam ille & latinam Gallicè,
Et Gallice linguam sonat Britannicam,
Et Gallice linguam refert Lombardicam,
Et Gallice linguam refert Hispanicam,
Et Gallice linguam sonat Germanicam,
Et Gallice omnem, præter vnam Gallicam,
Nam Gallicam solam sonat Britannice.
At quisquis insula satus Britannica,
Sic patriam insolens fastidiat suam,
Vt more Simiæ laboret fingere
Et æmulari Gallicas ineptias,
Ex amne Gallo ego hunc opinor ebrium.
Ergo ex Britanno vt Gallus esse nititur,
Sic dij iubete fiat ex Gallo capus.

IDEM.

Lubrica non seruat certum nunc Aula tenorem,
Sed rotat instabilem cæca subinde rotam.
Sternere summa libet, libet infima tollere, rerum
Inq; vicem nulla vertere lege vices.
Maxima cum bona sunt, iam sunt mala proxima: rursus
Maxima cū mala sunt, proxima iam bona sunt.
Forti animo mala fer, nec bis miser esto dolore,
Ne cito venturis præmoriare bonis.

Idem.

Magna diem magnis exhaurit cura Tyrannis,
Nocte venit requies, si tamen vlla venit.
Nec tamen hi pluma requiescunt mollius vlla,
In dura pauper quam requiescit humo.
Ergo Tyranne tibi hæc pars felicißima vitæ est,
In qua mendico par tamen esse velis.

Idem.

Ferme dimidium vitæ dormitur, in illo
Aequales spacio diues inopsq; iacent.
Ergo Crœse tibi, Regum ditißime, vitæ
Ferme dimidio par erat Irus egens.

Idem.

DISCRIMEN TYRANNI ET PRINCIPIS.

Legitimus immanißimis
Rex hoc Tyrannis interest,

Seruos Tyrannus quos regit,
Rex liberos putat suos.

Idem.

PRINCEPS NON SATELLITIO,
SED VIRTVTE TVTVS.

Non timor inuisus, non alta palatia Regem,
Non compilata plebe tuentur opes,
Non rigidus vili mercabilis ære satelles,
Qui sic alterius fiet, vt huius erat.
Tutus erit, populum qui sic regit, vtiliorem
Vt populus nullum censeat esse sibi.

Idem.

Populus consentiens regnum dat & aufert.

Quicunque multis vir viris vnus præest,
Hoc debet his quibus præest.
Præesse debet neutiquam diutius,
Hi quàm volent quibus præest.
Quid impotentes Principes superbiunt,
Quod imperant precario?

Idem,

Tyrannus in somno nihil differt à Plebeio.

Erigit ergo tuas insane superbia cristas,
Quod flexo curuet se tibi turba genu,
Quod populus nudo surgat tibi vertice, quod sit
Multorum in manibus Vitaque Morsque tuis?

At somnus quoties artus astringit inertes,
Hæc tua iam toties gloria dic vbi sit?
Tunc ignaue iaces trunco non impar inani,
Aut paulo functis ante cadaueribus.
Quod nisi conclusus timide intra tecta lateres,
In cuiusq; foret iam tua vita manu.

Idem.

Quid bonus est Princeps? canis est custos gregis (inde
Qui fugat ore Lupos. quid malus? ipse lupus.

Idem ad Aulicum quendam.

Sæpe mihi iactas faciles ad Principis aures
Liber, & arbitrio ludis vt ipse tuo.
Sic inter domitos sine noxa sæpe leones
Luditur, at noxæ non sine sæpe metu.
Infremit incerta crebra indignatio caussa,
Et subito mors est, qui modo ludus erat.
Tuta tibi non est, vt sit secura voluptas,
Magna tibi est, mihi sit, dũmodo certa, minor.

Idem.

DE BONO REGE ET POPVLO.

Totum est vnus homo regnũ, idq; cohæret amore,
Rex caput est, populus cætera membra facit.
Rex quot habet Ciues (dolet ergo perdere quenquam)
Tot numerat partes corporis ipse sui.

Exponit

Exponit populus ſeſe pro Rege, putatq́;
Quilibet hunc proprij corporis eſſe caput.

Idem.

Perdendo bona noſtra ferè cognoſcimus omnes,
Dum poßidemus ſpernimus.
Sic populo quoq; ſæpe malus, ſed ſerò benignum
Commendat hæres Principem.

Idem.

Princeps pius nunquam carebit liberis,
Totius eſt regni pater.
Princeps abundat ergo feliciſsimus
Tot liberis, quot Ciuibus.

IVLIVS SCALIGER, IN LIB. I. EPIDORPIDVM.

AVLAM reperit qui bonam, & vtilem, & fidelem.
Me autore ſequatur, duce me, meq́; ſequente:
Si quis queritur, nec fugit, huius miſerebor.

HENRI-

HENRICVS PETREVS HERDES.

AD

CLARISS. VIRVM D. IOACH. Gôtzen, Mundensem, I. C. & Illustriss. Principi ac Domino, D. ERICO, Duci Brunsuicensi & Luneburgensi; Comiti in Claromonte, Equitique summi ordinis velleris aurei; à consilijs.

AVlam cur Ioachime, culte legum
Antistes, reperisse te fidelem
Vnus dicis, & vtilem, bonamque?
An quod, respiciens seueriorum
Ducum limina, curiasque Regum,
Tot vestigia cernis impotentis
Iræ, tot furias, tot Aulicorum,
Tot paßim quoque Principum ruinas?
An sic Principe cum bono, faceto,
Docto, belligeroque, candidoque,
Indoctos alios, & imperitos,
Sæuos denique comparas ferosque?
An quod MVNDA *tua est, necisque pura,*
Nec fraudum patiens, nec inquinata
Communi scelerum lue, nec altrix
Muscarum, culicumue, cimicumue

Ergo

Ergo te Ioachime, te beatum,
Cui nunc inter amabiles sodales,
Et Munda locus aptus est in aula.
Quin hanc te duce, te sequor sequente?
An me, te socio, vel imperante
ERICO *Duce pœnitebit Aulæ?*
Nanq; hoc candidius benigniusue,
Lycus, Danubiusq;. Mosa, Rhenus,
Se vidisse nihil fatentur, ex quo
Tueri licuit sereniores
Vultus, ora, manus; & optimates
Tædas vndiq; candidas secutos
Herois, thalamoq; gratulantes.
Lucem, dante Deo, reducet illam
Ortu Lucifer aureus secundo,
Qua post difficiles vagæ labores
Aetatis liceat videre vultus
Boni Principis optimos in Aula,
Quam molli ferit alueo Visurgis,
Quam molli ferit alueoq; Fulda,
Et quam flumen vtrunq; flexuoso
Lauat circuitu, facitq; Mundam.
Dulces interea valete (dum me
Alpium iuga detinent) amici,
Tu nostri IOACHIME *fama cœtus,*
Et tu dimidium mei, GEORGI
Fide maior Oporino, sed amplo
Par cognomine, qui typo libellos

In

In lucem dedit elegantiore:
Valere, studijsq; me sodales
Boni pergite mutuis amare.

PHILIP. MELANCH. IN LIB. III. EPIGRAM.

Ex Antigone Sophoc.

AVLICVS FIDELIS.

NON *pectus vllius potest introspici,*
Vrbis Magistratus priusquam gesserit.
Ego, si quis in graui periculo ciuium
Vere salutarem sciens sententiam,
Eam timore victus occultat tamen,
Hunc iudico virum esse malum ac inutilem
Et si quis antefert saluti patriæ,
Priuati amici gratiam atq; munera,
Hic omnium est mortalium iniustißimus.

Ego DEVM *testem inuoco, si Patriæ*
Discrimen impendere videro meæ,
Me voce dicturum atq; mente libera
Sententiam, verißima quæ videbitur.

Nec vllus hostis ciuitatis publicus,
Priuatim amicus esse ducetur mihi.
Sed nauis hæc, quæ seruet omnes vnica,
Sit ciuitas, qua cum vehemur integra,
In ipsa amicos quærere florente licet.

IDEM LIB. III. EPIGRAM.

Ex oratione Lycurgi contra Leocratem.

Iratus ad pœnam Deus si quos trahit,
Auferre mentem talibus primum solet,
Caliginemq; offundit, vt ruant suas
Furenter in clades, sibi quas noxijs
Accersierunt vltro consilijs malis.

Ibidem, In Thyest. Senec.

Regnorum scelerata cupiditas omnia
Confusa iura naturæ contaminat,
Vt frater impias fratri inijciat manus.
Nihilq; peius ambitione, quæ omnia
Diuina, humana, iusq; & fas vertere solet.

ERICVS CORDVS,

IN LIB. II. EPIGRAM.

Ad Areolanum.

INstrue me, dominæ quî fiam commodus Aulæ,
Et placeant mores Areolane mei;
Illam quandoquidem callere catissimus artem
Diceris, infanti doctus ab vngue puer.
Excute sinceram recto cum pectore mentem,
Ingenuumq; tuo prodeat ore nihil,
Indue seruiles animos, fictoq; fauore
Vel minimis famulis, qua potes arte, place.

Blandus adulator, leuis aſſentator haberi
Ne pudeat, nullus ſit pietatis amor.
Nullis flagitijs, nulloq́ offendere faſtu;
Indigniſsima fer quæq́, nefanda proba:
Diſsimula, ſimula, ſerui benè, ſed malè fide;
Deniq nulla bonus vir tibi dona pete.
Hei quid ais? cupit hoc ſapiens homo viuere pacto,
Cui vel nuda domi rodere cruſta licet?

VITVS VVINSEMIVS, IN LIB. II. EPIGRAMmatum Philippi Melant.

QVisquis ad alterius nutū componere vultum
Neſcit, & iniuſtis auribus apta loqui,
Nunc verum, nunc falſa loqui, pro tempore, vt iſti
Qui rerum potitur, complacuiſſe videt,
Omnibus, hunc moneo, longè diſcedat ab Aulis;
Candor & integritas exulat inde procul.
Exulat & dulcis libertas, omnia faſtus
Plena, nec eſt vllus dicere falſa pudor.
Dicere falſa pudor non eſt; ſed durius illud
Quod non eſt vllus vera negare pudor.
Exilio grauior locus eſt, & triſtior, in quo
Nec ſancto cuiquam, nec licet eſſe pio.

M. PA-

M. PALINGENIVS,

In Leone.

—non iugera tanti
Plurima ſint, non omne aurũ, non quicquid arenis
Indus Erithræis cupidus legit, vt patienter
Vel ſtomacho alterius comedas, capiáſue quietem
Ad ſomnum alterius, dominoq́ iubente feraris
Nunc huc, nunc illuc, veluti pila miſſus ab illo;
Interdumq́ hominis te longè deterioris
Indocti, inſani, vinoſi, luxurioſi,
Imperio parere velis. turpiſsima res eſt
Nimirum, poſsis cum liber viuere paruo,
Quærere ſeruitio maioris præmia cenſus,
Ac libertatem, ſine qua laudabile nil eſt,
Vendere, & imperium domini tolerare ſuperbi.
Degeneres animi Procerum quid quæritis Aulas?

LVCANVS,

In lib.8. Belli Ciuil.

—Exeat AVLA
Qui volet eſſe pius: virtus & ſumma poteſtas
Non coëunt.

SENECA,

In Agamemnone.

Iura pudorq́,
Et coniugij ſancta fides,
Fugiunt AVLAS.

Idem in Hippolyto.

Verum iusta, qui Reges timet,
Deponat, omne pellat ex animo decus:
Malus est minister regij imperij pudor.

Ibidem.

Fraus sublimi regnat in AVLA.

Idem in Agamemnone.

Nunquam placidam sceptra quietem,
Certúmve sui tenuêre diem;
Alia ex alijs cura fatigat,
Vexatq; animos noua tempestas.
Non sic Libycis sortibus æquor,
Furit alternos voluere fluctus.

Idem in Hercule Oeteo.

Tu quicunq; es, qui sceptra tenes,
Licet omne tua vulgus in AVLA
Centum pariter limina pulset,
Cum tot populis stipatus eas,
In tot populis vix vna fides.
Tenet auratum limen Erinnys,
Et cum magnæ patuêre fores,
Intrant fraudes, cautiq; doli.

Ibidem.

Cespes Tyrio mollior ostro
Solet impauidos ducere somnos:
Aurea rumpunt tecta quietem,
Vigilesq; trahit purpura noctes.
O si pateant pectora ditûm,

Quan-

Quantos intus sublimis agit
Fortuna metus? Brutia Coro
Pulsante fretum mitior vnda est.

CLAVDIANVS,

In Epigram. ad Hadria.

IN breuibus nunquam sese probat Aeolus vndis,
Nec capit angustus Boreæ certamina collis;
Alpes ille quatit, Rhodopæaq; culmina quassat.
Incubuit nunquam cœlestis flamma salictis,
Nec parui frutices iram metuêre tonantis;
Ingentes quercus, annosas fulminat ornos.

Idem.

Magna repente ruunt, summa cadunt subitò.

THEODORVS BEZA VEZELIVS,

Ad Priscum.

AEolus Aeolia quísnam dicatur in AVLA
Claudere nũc ventis, nunc reserare fores,
Dicere, Prisce iuuat; dicentem sedulus audi,
Hoc quoq; ne pereas naufragus ipse mari.
AEOLVS *hic vera est Regũ Procerumq; figura,*
Est quibus in toto vanius orbe nihil.
Aeolia Aula quid est, nisi quas nos cernimus Aulas?
Nempe aliud rediens rursus in orbe Chaos.

Hinc Euri, Coriq; ruunt, hinc nubilus Auster,
Hinc aquilo rigido iussus ab axe volat.
Hinc mundi pelagus vertuntq; ruuntq; procellæ,
Rarus vt his currat nauita tutus aquis.
Hæ sunt Aeolides, loca fœta furentibus Austris;
Aspice disruptas vndiq;, Prisce, rates;
Et si forte sapis, cursum in contraria flecte:
Stultus ab hac vitam qui sibi morte petit.

Idem.

BVRDINO, INTIMO III. Regum Galliæ Secretario.

ILLE *ego cui curæ, cui magna negocia Regum*
Incubuêre diu; tanta cui mole grauato
Posse datum (nec enim certe diuinitus ista
Indigno collata mihi memorâsse pigebit.)
Sic onus integra famaq; fideq; tueri,
Innocuæ vt vitæ exemplum post fata relinquam?
Heu tamen infelix, eheu male prouidus assum,
Aeternæq; reus pœnæ, si me ante tribunal
Christe tuum sistas, horũ memor ante malorum.
Ecquid enim tantæ possim prætexere culpæ?
Res ego dum Regum, dum magna negocia curo,
Ah quoties terræ affixus, cœli immemor, & te
Mi DEVS, *& me neglexi, eheu splendor inanis*
Offudit quoties tenebras, ne gaudia plenæ
Perciperem lucis? quoties turbæ atq; tumultus
Opple-

Oppleuêre aures, monitis ne forte paterent
Christe tuis: mihi cum surdo, in præcepsque ruenti,
Quo male sane ruis, quo te tādem abripis, heus tu
Burdine infelix? intusque forisque sonares.
Ah quoties quotiesque sequi me recta paratum,
Abripuit rapidus velut in contraria vortex
Transuersum, rursusque in deuia compulit AVLA,
AVLA omnis sceleris mater, nutrixque nefandi.
Subscripsit quoties multis manus ista reluctans,
Posthabita superûm miseris mortalibus ira.
Denique rem faciens, rem certe funditus omnem
Perdidi, & insanus studui ditescere damnis
AVLA apage, & procul ô proceres Regesque valete,
Et quæ me bona lactâstis tot falsa per annos.
Tu vero vna salus hominum, solumque præcanti
Perfugium spretis quæcunque olimue recensue
Partim ignara superstitio, partim intulit audax
Impietas, & nunc eadem quoque monstra tuentur,
Hāc animā Christe, hāc animā seruato benignus,
Seque suumque scelus clara tibi voce fatentem.
At vos, qui turbas inter tantosque tumultus
Recte homines mortem meditari & viuere posse
Creditis, vt quos deludunt insomnia læta,
Hæc vtinam faciant aliena pericula cautos.
Talia Burdinus moriens: quem sæpe diuque
Sanum affectatus, morientem denique ridens
Aulicus, Hæc & nos olim meditabimur, inquit,
Interea vero vitaque Aulaque fruamur.

HENRICVS STEPHANVS, IN CHARINVM.

QVæ tu cunq; facis, quæ dicis cunq; Charine,
Aulica tu nobis hæc vocitare soles.
Aulicus immani qui verba ad singula rictu
Diducit risus turpiter ora tibi.
Aulicus est gestus, quo nullus ineptior vsquam,
Ipso cum manibus gesticulante pede.
Aulicus es, balba si quando es nare locutus,
Aulica sunt auri barbara verba tuæ.
Aulicus es, muco si quando est obsita naris,
Aulicus es, barbam cum tibi pædor habet.
Aulicus, ore lupos quoties imitare voraces,
Aulicus, es gurges quando Charine meri.
Aulicus es, crudo quoties è pectore ructus,
Et crudos ructus, quæ comitantur, eunt.
Quænam hæc AVLA *foret, dubius persæpe rogaui,*
Delitias tantas quæ tibi totq; parit, (rum,
Nunc cum αὐλὴν *porcis tribuisse recorder Home-*
De porcorum AVLA *te quoq; credo loqui.*

D. ANDREAS ELLINGERVS, MEDICVS ET POETA PRÆSTANTISS. AD HENRIC. PETREUM. HERDES.

AVla nisi olla quid est? parasitos vtraq; nutrit:
Inuida sinceros non amat AVLA *viros.*

Caula

Caula pecus simplex balantes sordida pascit,
Splendida raptores educat AVLA *lupos.*
Sunt tamen & caulis quædam cõmunia & Aulis,
Odêre Aonides vtraq; regna deas.
Myrtilon Aula nitens, te pinguis caula Melanthi,
Perniciem domini fouit vtrumq; sui.

EX IO. IAC. BOISSARTI VESVNT: EPIGRAMMATE,

AD D. IACOBVM PASCHARIVM Lotharingum, Medicum & Poëtam doctiss.

Risit Iuppiter diuitum furores,
Et deliria Principum, deditq;
Loquaces Simiósq; Psitacósque,
Turbam blandi loquentium Gnathonum,
Qui Muscæ vocitantur ad patellas.
His primum studium est, ciêre risum
Ex re qualibet, & leues cachinnos
Mouere, & recitatione ficti
Longas nobilium excitare laudes.
Nôrunt scommatibus placere salsis,
Et mordacibus irritare dictis,
Si quem simplicioribus notârint.

Vitæ moribus esse, & institutis.
Aptant deniq; punctum ad omne frontem,
Personas sibi congruente naso
Concinnant, sinuosa semper auræ
Dantes carbasa non nisi secundæ.
Horum quale sit hoc genus requiris?
Non sunt plebeis, amice tantum
Nati stemmatibus, sed & celebre
Multi de medio genus Senatu
Traxerunt: alij scholis relictis
(Quos sanctæ pudet eruditionis.)
Nunc pro militibus volunt haberi:
Quamuis bella prius geri, nec vnquam
Consertas tulerint simul cohortes.
Vidi mancipijs vbique, & hisce
AVLAS nobilium scatere muscis.
Omnes fercula farta, Ius, placentas
Sectantur, Simiæq; Psitaciq;
Fiunt, (venter enim imperat Magister)
O seruum pecus, & molis dicandum:
Peiores domini, parata qui istis
Non nectunt animalibus capistra.

LVDOVICVS MASVRIVS NERVIVS, IN EPIgrammatis suis.

V. *Quo Masuri?* M. *feror exul.* V. *opes cur linquis & AVLAM?*
M. Sit profugo tandē Christus vt alta quies.
V. *Nilúe refers?* M. *odium.* V. *quid contulit AVLA* M. *dolores,*
Seruat inexhaustas at mihi Christus opes.

GEORGIVS SABINVS, IN EPIGRAMMATVM LIBRO.

SAepe rudes inter mutata veste colonos
Noricus Agricolæ Dux faciebat opus.
Nunc pascebat oues, nunc gramina falce secabat,
Vomere proscindens nunc subigebat humum,
Et simul illato de se sermone, rogabat
Plurima, nempe quibus moribus ipse foret:
Iustus an exigeret pœnas à sontibus vltor?
Debita conferret præmia numúe bonis?
Quærenti vero caussam, cur Regibus ortus
Princeps, agricolam se simularet? ait,
Me iuuat è rudibus cognoscere vera colonis:
Seruit adulatrix auribus AVLA *meis.*

Idem

Idem ibid.

Illecebris veluti Meretrix inuitat amantes,
Afferat ipsa quibus perniciosa malum.
Haud secus allectat Iuuenum Respublica mentes,
Perdit amatores quæ male fida suos.
Quisquis es, hanc pariter deuites, hortor, & illam,
Vtraq; plena malæ fraudis, amata nocet.

PETRVS LOTICHIVS SECVNDVS, MEDICVS ET POETA CLARISS. IN LIB. II. carminum: ad Leonhardum Munsterum.

Sollicitas habili citharæ dum pollice fila,
Succinis & tenui murmure, VIVE TIBI,
Et vitare mones prælustria, chordaq; dulces
Pulsa dat, & chordas vox imitata, sonos,
Ducere cum Musis videor Munstere choreas,
Quoq; sedes, Helicon est locus ille mihi.
Carmina pectoribus, mulcendis auribus apta
Est lyra, me chordis vox sociata iuuat.
Vtraq; cum præstes, quid dulcis amice rependam?
Hoc precor, vt viuas tempus in omne tibi.

PAVLVS

PAVLVS LATERMANVS THEMARIENSIS, AD HENRIC. PETREVM Herdesianum.

DVm plurimos magnis libros sudoribus
Petree (quotquot vspiam sunt, aut mihi
Fuêre quotquot, aut erunt in posterum,
Inter sodales omnium carißime)
Euoluis, Aulicam coloribus suis
Et vanitatem ante ora sistis omnium,
Rogásq; te iuuare ego ne desinam
Hoc in labore, veritatem si cupis
Audacter amoto vt pudore proferam,
Aliud quidem fecisse te cerno nihil,
Quam quod cicatrices mihi tristißimas,
Quas ambo nos in Aulico quondam mari
Acceperamus, quæq; vix coiuerant,
Redintegrâsti, nec mihi prouinciam
Hac duriorem nunc queas imponere.
Sed vt tamen, pro iure coniunctißimæ
Neceßitudinis, tibi morem geram,
Reddantur exemploq; nostro cæteri
Prudentiores: en habes hic paucula,
Quæ, si placent, & digna iudicaueris,
Vt cæteris admisceantur, haud tibi
Reluctor. Ex patrum liberis decerpere
Selectiores destinâram flosculos,

Sinon

Si non acerba filij mors vnici
(Quem cœlitum Rex nuper ex ergastulo
Mundi nefando, celsa denuo poli
Stellantis euocauit ad Palatia)
Vitam dolore, fletibus, suspirijs,
Plenissimam me cogeret iam ducere.
Sed quid gemo? Deus suum nunc abstulit,
Mihi quem liberaliter concesserat,
Huic sit perennis laus, honos & gloria.
Semper secunda temperantur tristibus,
Et sic secundis admouentur tristia,
Plus felleæ vt plerunque amaritudinis
Quam melleæ persentias dulcedinis:
Résque est in orbe, nulla constans, omnia
Sed vana sunt, periculisque obnoxia.
Clementium quot iam fauore Principum
En excidunt? quot Aulici optatissimis
Honoribus, quos obtinebant antea,
Priuantur, in teterrimísque sordibus
Coguntur æuum sordidum traducere.
Sed pax in AVLA *Regis vsque cœlici*
Floret perennis, atque plena gaudijs,
Ibi querela nulla, nullæ lacrymæ,
Vllum nec vllus occupat locum dolor.

HEN-

HENRICVS PETREVS HERDESIANVS,

De quodam Scoppo,

AD PROBATÆ FIDEI AC virtutis virum Balthazarem Crammonium Pancratiasten.

CVm gratis bibula Scoppus græcatur in Aula,
Crebra foris ſiccans pocula, rara domi,
Non ſecus ac Proteus formas eſt aptus in omnes,
Meq́ſubinde nouis ludit imaginibus.
Nunc docto Salomon declamitat ore, diſertos Eſt Salomon,
Largo ſermones ſufficiente mero:
Nunc vbi clamoſo criſtas erexit Iachus, Eſt & Samſon,
Exuto Samſon fit Salomone potens.
Mox vario geſtu, varioq́ imitamine ſaltus
Aequiparat fatuos Simia Simiolos. Eſt Simia;
Deniq́ diſtentus vino procumbit humi Sus, Sus eſt.
Portio ſetigeræ maxima potus haræ.
Circumſtant Aſini ſera de nocte rudentes,
Grunnitumq́ Sues protinus ingeminant.

IDEM

IDEM, DE TITO NON VESPASIANO.

AD VIRVM DOCTISSIMVM ET HVMANISSIMVM ROCHVM CORNELIVM VELDIVM Belgam, Antuerpianum, amicum suum charissimum.

Miras, ROCHE, *maris beatus ille*
Titus nauigat aulici lacunas.
Auri quippe fame, sitiq; laudis
Aulæ culmina Curiasq; Regum
Cura dum sequitur laboriosa,
Iam stat, iamq; cadit, doletq; flétque,
Et curis macieq; membra torquet.
Nec demens animo capit quietem:
Et nobis tamen inuidet quietem:
Nec veræ patiens beatitatis,
Sitit, ROCHE, *tamen beatitatem.*
Non ergo sibi carnifex seuerus,
Et Titus sibi pœna semper ipse est?

CHRISTOPHORVS CORNERVS IN ECPHRASI EPISTOLÆ I.

Ciceronis ad Q. Fr. de prudenter administranda Rep.



MAGISTRATVS pecuniæ cupiditatem nimiam deuitet. Mirificè enim deformatur ille vir in excelſo loco ſedens, ſi poſthabita publica vtilitate, ſuis tantum cõmodis, augendæq́; pecuniæ ſtudet: nec quo id iure, qua ve iniuria faciat, obſeruat. Auaritia certè omne officium, licet ſanctum & auguſtum, comminuit atq; violat, & Principem virum ab omni honeſtatis laude longiſſimè remouet. Nec malè diuinus ille Plato videtur eum tyrannũ & ſeruum vocare, qui ſuos appetitus nunquam explet, & in ſumma rerum copia valdè indiget. Hoc enim auaro vnum deeſt, quod quo pluribus abundat, hoc animum minus exatiare queat. Qua etiam de cauſſa Bion hunc animi morbum πάσις κακίας μιτροπολιν eſſe dixit: & mea quidem ſententia rectè. nemo enim ſapiens tantoperè cupiuit pecuniam, vt ei obedire velit,

vt eſt in prouerbio. Magiſtratus ſi eſt αἰ-
σχροκερδὴς, maximo habendi ſtudio cru-
ciatur: nec quam honeſtè res conſequa-
tur, videt. Nunc enim quod poteſt vi,
nullo iure à ſubditis extorquet: nunc eos
nouis tributis onerat: nunc alias com-
parandæ pecuniæ vias & rationes exco-
gitat: & quo maior habendi ſitis ipſum
premit, hoc eſt durior atque iniquior in
eos, quorum ſaluti quam rectiſſimè ſtu-
dere debebat. Si verò eſt φειδωλὸς, ni-
hil minus facit, quam vt pecunias in com-
munem vtilitatem atque ſalutem ero-
get. Non ignoratis doceri, ab Iſocrate,
expetendas quidem eſſe Principi pecu-
nias, ſed duabus de cauſſis: vt vel illis
ingentia damna perſoluantur, vel ami-
co laboranti & egenti ſubueniatur. Cen-
ſet & idem, eos magnoperè contem-
nendos eſſe, qui magnarum opum quas
cupiunt, verum vſum planè ignorant.
Ac Romanus ille longè turpius eſſe cen-
ſuit pecuniam egere viro, quam virum
pecunia. Verſanti autem in prouincijs,
hoc eſt in primis faciendum, vt do-
mitas habeat libidines, & coerceat om-
nes cupiditates, quæ multæ & variæ ſunt,
& cæ-

& cæcos reddunt homines: ne si rebus alienis auarè inhiet, multorum in se concitet odium, passim audiet malè: & tandem deposito magistratu, cum ignominia repetundarum agatur. Quamuis hoc crimen ita vulgare sit Prætoribus, vt vix vnum audias, qui se auaritiæ suspicione purgaret: tamen in magna laude ponendum est, posse tam insigne vitium à se remouere. Nam & Verri fuit crimini datum, quod extraordinarias pecunias, quæ nullis redditibus, nec ex annonis, nec de aliqua legitima cessione aut donationis, aut hæreditatis adijciebantur, exegisset. Quare Prætoris est, vt famam tueatur, cauere, ne auarus iudicetur: & vt bonis oblatis moderatè vtatur: & quæ honestè consequi non possit, illis æquo animo careat.

Pone tibi ante oculos quæso omnia, quæ ad magistratus pertinent officia: disperеam, si in multis vnum reperias, quod cum laude sine literis agi possit. Nam sæpè leges ferendæ sunt, iudicia sunt constituenda: sæpe iudicandum est de grauibus caussis, sæpe prouidendum & cauendum,

non rarò incidunt deliberationes de imperij salute, sæpe deniq; datur necessitas aliquid suadendi, vel etiam dicendi pro concione. Ad quæ sanè omnia quã multiplex eruditio, variarumq́; rerum cognitio requiratur, nouerunt & ij, qui aliquandiu in imperijs sunt versati, & quos multæ historiæ, varius rerum vsus, & mirabiles negotiorũ euentus erudierunt. Sæpe & diu Pericles Anaxagorã, Cato Athenodorũ, de magnis rebus sapientissimè loquentes audiuerunt. Plato quoq; Dionem, Isocrates Timotheum Cononis filium, Lysias Epaminundam, Xenophon Agesilaum, & Aristoteles Alexandrum instituit, & doctrinis omnibus expoliuit: vt verè essent, quod de Achille Homerus scribit, oratores verborum, actorésq; rerum. Idẽ quoq; Homerus, cum canit, τὸν δεῦρον φρένα τερπόμενον φόρμιγγι λιγείη, & ἄειδε δ' ἄρα κλέα ἀνδρῶν, vult esse testatum, Achillem musices & historiarum peritissimũ fuisse. Cui quoq; Astronomiæ peritiam tribuit, cum narrat, cœlum, elementa, partes mundi & sidera in ipsius clypeo fuisse picta: Nec Alexandrum puduit philosophiam & medendi artem discere, qui ita quoq; studiosus Homeri fuit, vt cum fortè in castris

Persarum Regis deuicti, reperisset scrinio lum magna arte factum, & alij de vsu eius quærerent, diceret, se Homeri libros in illo conseruaturum esse. Nam ciuilis doctrina, quid in omni caussa æquũ sit, quid iustum, quæ sit regendæ ciuitatis optima ratio, quę facienda sint aut fugienda, multiplici legum & pręceptionum traditione docet: quorum exempla omnis generis historiæ & antiquitas continent. Orationis quoque grauitas & elegantia mirificè ornat & iuuat eum virum, cui sæpè multa de suæ ciuitatis statu & salute dicẽda sunt. Quod sapientissimus Poëta, Nestoris & Vlyssis exemplo verissimo docere voluit: cum huic tribueret ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν: de illo vero diceret, τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή: quam nè & suauiter dicendi facultatem vterque longo ætatis curriculo, & magno rerum vsu atque prudentia consecutus est. Nec Princeps, cum Christianus haberi velit, ignorabit nostræ theologiæ capita, quæ veram religionem, & Dei notitiam atque cultum docent. Non enim in magistratu tantum requiritur, vt sit gubernator bonus, sed etiam vt sit religiosus. Quanquam non video, quo quisq; pacto cõsequi pos-

ſit boni Principis nomen, ſi non idem eſt Chriſtianus bonus : & ad omnem ſcientiam atque prudentiam, qua clarus eſt, Dei quoque & veræ religionis cognitionem adiunxit: vt Deum verè & ſcienter, non falſa ſuperſtitione colat & veneretur: & cum ſit legum cuſtos, intelligat ſuæ defenſioni & tutelæ vtramque diuinæ legis tabulam commiſſam eſſe. Noſtis, cum grauis illa & difficilis cõtrouerſia ab Ario mota, tractaretur in Epiſcoporum conuentu, Conſtantinum multa ſapienter & piè de eadem eſſe locutum. Quare non ſunt audiendi quidam ignari & contemptores artium, qui ſatis eſſe putant, ſi ad imperium adferatur quædam in iudicando dexteritas, & regendo calliditas: ciuilem vero ſcientiam, cum theologia, ad earum profeſſores reijciunt. Quorum error quã ſit Eccleſiæ Dei & vniuerſæ vitæ pernicioſus, docent noſtra ætate multorum exempla. Et ſi enim quibuſdam curæ ſunt bonæ artes : longè tamen plures inuenias, qui à literarum ſcientia ſunt alieniſſimi. In eos illud Socratis aptiſſimè quadrat. is cum forte hominem diuitem & alto loco natum vidiſſet, nulla doctrina præditum, dixiſſe fertur: En equum ar-
gento

gento tectum. Et quidam alius egregiè vestitum, præstantique forma Principem, sed planè indoctum, nõ inscitè pulchram bestiam vocauit. Laudandus est Alphonsus Arragoniæ Rex, qui cum ei regulus quidam persuadere conaretur, non decere Principem scire literas, exclamauit: Bouis hæc vox est, non hominis: cum res nulla sit quæ magis iuuet & exornet Principem, quam scientia.

CICERO AD Q. FRATREM.

NOn itineribus tuis perterreri homines, non sumpu exhauriri, non aduentu commoueri? esse, quocunq; veneris & publicè & priuatim, maximam lætitiam, cum vrbs custodem, nõ tyrannum, domus hospitem, non expilatorem recepisse videatur? His autem in rebus iam te vsus ipse profectò erudiuit, nequaquam satis esse, ipsum has te habere virtutes: sed esse circumspiciendum diligenter, vt in hac custodia prouinciæ non te vnum, sed omnes ministros imperij tui, socijs & ciuibus, & Reipub. præstare videare.

CHRISTOPHORVS CORNERVS IBID.

HVIC præcepto lucem affert locus, qui eſt in quarta Verrina: Pertinet hoc ad ſummam Reipub. & ad exiſtimationem ordinis, ſalutemq́ue ſociorum. Si enim innocẽtes exiſtimare volumus, non ſolum nos abſtinentes, ſed etiam noſtros comites præſtare debemus. Nam ſæpè administrorum improbitate multum æſtimationi & dignitati magiſtratus decedit: ipſeq; licet bonitatis & prudentię laudem habeat, tamen de comitibus, ſi mali ſunt, audit quoq; peſſimè, inq; eum omnis errati & peccati culpa reijcitur. Quod enim alterius opera facio, id ipſemet dicor facere: omníſque rei malè actæ infamia & turpitudo in meum caput redundat. Nec eſt omnino falſum quod vulgo iudicatur, miniſtros ferre dominorum mores.

CICERO AD Q. FRATREM.

SINT aures tuæ, quæ id quod audiunt, exiſtimentur audire, non in quas fictè aut ſimulatè quęſtus cauſſa inſuſurretur.

CHRI-

CHRISTOPH. CORNERVS IBIDEM.

DVo hominum genera notat: Vnum eorum eſt, qui cum boni & candidi ſint, ingenuè & apertè vera dicunt & ſuadent, inq; eo nō tam ſuam ipſorum, quam Prætoris & Reipublicæ incolumitatem & vtilitatem quęrunt. Alterius generis ſunt, in principum aulis probe nati, ψευδολογοὶ & ἐχθροποιοὶ, qui in bonorum conceſſu tacent, nec mendacia ſua & pernicioſa conſilia proferunt, ſed ea ſeorſim ſubmiſſa voce in aurem Principi dicunt: quibus aut bonis obtrectant, aut innocentes accuſant, aut quę ipſis tantum vſui ſint, non toti ſocietati, ſuadēt. Talem apud ſe aluit Verres, Cleomenem dictum, quem ſæpè viderunt Siculi ad latus Prætoris ſedere, & ad aurem familiariter, vt ſolitus erat inſuſurrare.

Caueat igitur Princeps, ne aſſentatoribus & ſuſurronibus aures patefaciat. Ipſi enim nihil verè & candidè, nihil ex animo dicūt, ſed omnia ſimulatè & falſo: & ſunt, quod de Spartanis dixit Ariſtophanes, δόλια βουλευτήρια, ψευδῶν ἄνακτες, μηχανόρραφοι κακῶν. Eorum namque oratio, licet

benè picta & elegans, videtur vera eſſe: omnino tamen fallax eſt, atq; ad inſidias & fraudem inſtructa. Sicut autem Iſocrati ſermo apertus & ſimplex, eſt ψυχῆς ἀγαθῆς καὶ πιστῆς εἴδωλον: ita fictus & vanus, improbi & fraudulenti animi ſignificationem edit. Cùm ergo magiſtratus veritatis amans eſſe, ſimplices & apertos complecti & tueri debeat, ex dignitate & officio ipſius eſt, nihil vt minus ferat ſecum, quã calumniatores, hominum genus perniciosiſſimum: & quod Iſocrates præcipit, falſo calumniantes, & in leges temerè cõmittentes, pari afficiat pœna. Non enim ij, quod ſæpe de alijs vſu venit, vel errore, vel ignorantia, vel alia quadam leui de cauſſa labuntur: ſed conſulto innocentum famæ, ipſiusque magiſtratus nomini & bonis inſidiantur, dum aliud in mente aliud verò in lingua ferunt: quos apud Homerum Achilles non ſecus atque portas inferni execratur & odit. Ac velut aucupes dum auiculis inſidiantur, earum voces referre & imitari ſolent: ita ij malitioſis blanditijs ſermonum, non veritate, ſed ſimulatione in principum virorum amicitiam ſe inſinuant, vt dum ſe bonorum ſimiles, ſermone, nõ animo fingant,

apud

apud eos fidẽ & authoritatem conſequantur. Horum geſtum egregiè depingit Plato in Polemarchi perſona, cum dicit, eos apprehenſis alicuius ſupernè humeris, ad ſe attrahere, & protenſos in eum ſe inclinare, in aurem'q; dicere. Scitè Bion dixit, eos qui aſſentatores audiunt, ſimiles eſſe amphoris quæ auribus aut anſis circũ agũtur. vt enim quibuſuis citra diſcrimen vaſa aurita ſeruiunt, ita ij etiam peſſimos æquè ac optimos audiunt. Dolendum eſt equidem, hanc in principũ aulas inuaſiſſe corruptelam, vt quo quis blanditijs & aſſentatione potior ſit, hoc ſit etiam gratioſior & acceptior: Simplicitati autẽ & veritati ꝓpè nullibi ſit locus. De quo etiã more veriſſimè cõqueritur Poeta his verbis:

ὁ βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται,
πράττει δ᾽ ἄριστα ὁ κόλαξ, ὁ συκόφαντος δεύτερος.

Cui quoq; fidem facit Antiochi magni regis cõfeſſio nõ falſa. is cum in venatione auidius feram inſequens, amiſiſſet miniſtros, & forté errans in caſulam quandam perueniſſet, vbi facta de rege mentione, audiuit ex agreſtibus hominibus (ſolent enim & ij interdum liberius de magiſtratibus loqui) regem quidem probum eſſe, ſed in hoc errare, quòd pleraque negotia impro-

improbis demandaret, & quòd præ nimio venandi studio minus esset diligens sua in functione. Sed Rex, cum non agnosceretur, tacuit. Postridie verò mane satellites eius vestigia secuti, depræhenderunt eum in casa, & ornamenta regia attulerunt, vnde primum est agnitus. Ipse verò mox in hanc propè sententiam eis dixit: Heri primum vera de me ipso audiui ex hominibus, qui scauam vocant scapham. Nam qui in principum aulis viuunt, hoc vnicè curant, vt nil nisi blandum & dulce auribus dicant & audiant, quos tamen oportebat μῦθον ἀπηλεγέως ἀποειπεῖν. Ipsi enim in aula primos ordines ducunt, & sunt tanquam Regis aures atque oculi. Quare rectè subijcitur, non nisi apertè & verè loquentes audiendos esse: assentatores, & id genus homines, tanquam νόσημα καὶ ἀπόστημα Reipublicæ, longè repellendos esse atq; arcendos.

AD ANNVLVM TYPARIVM SEV SIGNATORIVM QVOD ATTINET.

ANNVLI nomine intelligitur signum, quod literis, vel alijs rebus apponebatur,

batur. In eius pala, ſeu ſphragidopylacio, erat gemma cum inſculpta imagine quadam ſelecta, quæ ceræ imprimebatur. Plinius ſcribit, legatis ad exteras nationes ituris, publicè datos eſſe aureos annulos: vt nimirum exterorum honoratiſſimi intelligerentur, vtentes illis tantum in publico. nam domi Romanis tantum ferrei conceſſi erant. Idem Plinius ait, Græcos à digitis annulo nomẽ indidiſſe (eſt enim δακτύλιος) priſcos vocaſſe vngulũ: poſtea, Romanos & Græcos ſymbolum nominaſſe. Porrò annulus aureus, erat inſigne ordinis equitum. nam iure annuli donali, fiebant equites: ſicut hodie accipiunt aureum calcar. Fuit quoq; annulus ferreus Romanis bellicæ virtutis inſigne.

Idem ibid.

Princeps ſibi eos in imperio adhibeat, eoſq; ciuitatib. præficiat, quos conſilio & prudentia excellere nôrit. Non enim, teſte Plutarcho, vnus omnia negocia obire poteſt nec debet, ſed eorum aliqua pars prudentib. & bonis demãdanda eſt, vtatur opera & conſilio magnorum hominum, qui q̃d religio, quid lex, quid æquitas poſtulet intelligunt; ne quid ipſe inconſulto agat, & quæ minime videat temere ſuſcipit.

cipit. Nam & Mosen constat Iethronis soceri consilio sibi tribunos, centuriones aliosq; ordinum duces adiunxisse. Et Agamemnon apud Homerum optat sibi dari decem tales συμφράδμονας, qualis Nestor esset, cui longa ætas multarumq; rerum experientia magnã prudentiam pepererat. Et Salomon ait: Melius est duos esse simul quam vnum: Vnus enim, vt vulgo dici solet, homo, nullus homo.

Sic Plutarchus scribit, Diomedem cum ad hostium castra exploratũ mitteretur, non eum qui fortitudine, sed qui consilio & prudentia præstaret socium delegisse. Et Alexandrum ferunt apud Constantinum magnũ esse professum, se quod tam florenti rerum omnium successu vteretur, prudentum consilijs & monitionibus acceptum ferre.

FINIS PRIORIS PARTIS.

ALTERA PARS;

DE VITA PRIVATA, MEDIOCRI, ET TRANQVILLA;

Vitæ Aulicæ opposita:

Diuersorum Autorum sententiæ & Carmina.



P. Ouid. Naso, lib. 3. Trist. Eleg. 4.

Crede mihi, BENE QVI LATVIT, BENE VIXIT, *& intra*
Fortunam debet quisq; manere suam.

NOBILI VIRTVTISQVE AC PIETATIS LAVDIBVS INSIGNI

Adolpho Hermanno Ridesell, ab Aisenbach, in Hermansburg, &c. Hassiæ Mareschallo hæreditario, &c. domino suo benefico;

S. P. D.



CVM Æneæ Syluij atque Hulrici Hutteni, & aliorum quorundam opuscula de vita Aulica ad editionem adornâssem; de opposita etiam huic vita priuata & quieta grauissimas probatorum Autorum sententias colligere, atque in lucem proferre conueniens esse putaui. Quapropter cum viros autoritate & virtute præstantes animo meo circumspicerem, quibus partem alteram huius libri dedicarem, te nō minus eruditione ac pietate, quam generis nobilitate & virtute clarum compellare visum fuit; Tuq; primus omnium mihi occuristi, quem libelli huius patrocinium nō grauate suscepturum sperarem. Etenim vt præclara familiæ gentisque di-

gnitas & amplitudo, cum nonnullis alijs ordinis equestris tibi est communis; ita singularis religiosæ pietatis amor, & peculiare doctrinarum studium, summaque humanitas & beneficentia, sic te præ ceteris commendant, vt ætas nostra præcipuis te nunc litterarum annumeret patronis. Atq; vt Catonem in ipsa sæpe Curia, dum Senatus cogeretur, legere solitum scribit Cicero, sic te quoque studia nostra adeò non intermittere constat, vt in quotidianis rei domesticæ occupationibus, inq; grauissimis Reip. negocijs, & aliquid indies legas, & firma curarum ex litteris reportes solatia.

Etsi igitur exilia hæc sunt, quæ tibi offero, & neque digna virtute & magnificentia tua, neque etiam à me composita, sed ex aliorum monumentis descripta; tamen hanc tibi compellationẽ pro summa humanitate tua non molestam fore, neque te vitæ priuatæ patrocinium repudiaturum confido. Pluribus verbis, vt tibi hoc factum meum displicere non sinas, abs te nõ petam, ne iniuriam facere videar cum præclaræ de virtute & humanitate tua famæ, tum amicis tuis viris nobilissimis, Alberto Stibaro à Puttenheim, & VVolffgango

gango Bartholomæo VVolffskeel in Reichenberg, Eq. Fr. atq; imprimis Iohanni Fichardo, patricio Francofurtensi, Iurisconsulto clariss. deque liberalibus disciplinis ad omnem posteritatem optime merito, quorũ singulari humanitatis tuæ commendatione eam de te spem concepi, vt quicquid à me litterarum ad præstantiam tuam proficiscatur, gratum tibi fore mihi sit persuasum. Vale, vir amplissime, & me dilige. Data Basileæ Rauracorum, Anno M.D.LXXV.

Henricus Petreus Herdesianus.

PARS ALTERA, DE VITA PRIVATA, MEDIOCRI, ET TRANQVILLA; Vitæ Aulicæ opposita.

P. VERGILIVS MARO, IN libro II. Georgicorum.

O Fortunatos nimium, sua si bona nôrint (mis,
Agricolas, quib. ipsa, procul discordibus ar-
Fundit humo facilem victum iustißima Tellus.
Si non ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit ædibus vndam,
Nec varios inhiant pulcra testudine postes,
Illusasq; auro vestes Ephyrëiaq; æra,
Alba nec Aßyrio fucatur lana veneno,
Nec casia liquidi corrumpitur vsus oliui:

At secura quies, & nescia fallere vita,
Diues opum variarum, & latis ocia fundis,
Speluncæ, viuiq; lacus, & frigida Tempe,
Mugitusq; boum, mollesq; sub arbore somni
Non absunt. Illis saltus ac lustra ferarum,

Et patiens operum, paruoq; assueta Iuuentus,
Sacra Deûm, sanctiq; Patres extrema per illos
Iustitia excedens Terris vestigia fecit.

Me vero primum dulces ante omnia Musæ,
Quarum sacra fero ingenti perculsus amore,
Accipiant, celiq; vias & sidera monstrent,
Defectus Solis varios, Lunæq; labores,
Vnde tremor Terris, qua vi Maria alta tumescant
Obijcibus ruptis, rursusq; in se ipsa residant,
Quid tantum Oceano properent se tingere soles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.

Sin, has ne possim Naturæ accedere partes.
Frigidus obstiterit circum præcordia sanguis:
Rura mihi, & rigui placeant in Vallibus amnes,
Flumina amem, syluasq; inglorius: ô vbi Campi,
Sparchiusq;, & Virginibus bachata Lacænis
Taygeta: ô qui me gelidis in vallibus Hæmi.
Sistat, & ingenti ramorum protegat vmbra.

Felix qui potuit rerum cognoscere caussas,
Atq; metus omnes, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, strepitumq; Acherontis auari;
Fortunatus & ille, Deos qui nouit agrestes,
Panaq;, Syluanumq; senem, Nymphasq; sorores.

Illum non populi fasces, non purpura Regum
Flexit,

Flexit, & infidos agitans discordia fratres,
Aut coniurato descendens Dacus ab Istro
Non res Romanæ, perituraq́ue regna, neque ille
Aut doluit miserans inopem, aut inuidit habenti.
Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
Sponte tulêre sua, carpsit: nec ferrea iura,
Insanumq́ue forum, aut populi tabularia vidit.

Sollicitant alij remis freta cæca, ruuntq́ue
In ferrum, penetrant AVLAS, *& limina Regum:*
Hic petit excidijs vrbem, miserósque penates,
Vt gemma bibat, & Sarrano dormiat ostro.
Condit opes alius, defossoq́ue incubat auro.
Hic stupet attonitus Rostris, hunc plausus hiantem
Per cuneos (geminatur enim Plebísque Patrumq́ue)
Corripuit: gaudent perfusi sanguine fratrum,
Exilioq́ue domos, & dulcia limina mutant,
Atque alio patriam quærunt sub Sole iacentem.

Agricola incuruo terram dimouit aratro,
Hinc anni labor, hinc patriam, paruósque Nepotes
Sustinet, hinc armenta boum, meritósque Iuuencos.
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,
Aut fœtu pecorum, aut cerealis mergite culmi,
Prouentuq́ue oneret sulcos atque horrea vincat.
Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trapetis,
Glande sues læti redeunt, dant arbuta Syluæ,

Et varios ponit fœtus Autumnus, & alte
Mitis in Apricis coquitur vindemia Saxis.

Interea pendent dulces circum oscula nati,
Casta pudicitiam seruat domus, Vbera Vaccæ
Lactea demittunt, pinguésq; in gramine læto
Inter se aduersis luctantur cornibus hœdi.
Ipse dies agitat festos, fususq; per herbam,
Ignis vbi in medio, & socij cratera coronant,
Te libans Lenea vocat, pecorísq; Magistris
Velocis iaculi certamina ponit in Vlmo,
Corporaq; agresti nudant prædura palæstra.

Hanc olim Veteres Vitam coluêre Sabini,
Hanc Remus & frater: sic fortis Hetruria creuit,
Scilicet & rerum facta est pulcerrima Roma,
Septem quæ vna sibi muro circundedit arces.
Ante etiam sceptrum Dictæi Regis, & ante
Impia quam cæsis gens est epulata iuuencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat:
Nec dum etiam audierant inflari classica, necdum
Impositos duris crepitare incudibus enses.

Idem in CVLICE.

O Bona Pastoris, si quis non pauperis vsum
Mente prius docta fastidiat, & probet illis

Omnia

Omnia luxuriæ precijs incognita curis,
Quæ lacerant auidas inimico pectore mentes.

Si non Assyrio fuerint bis lauta colore
Attalicis opibus data vellera, si nitor auri
Sub laqueare domus animũ non tangit auarum,
Picturæq; decus, lapidum nec fulgor in vlla
Cognitus vtilitate manet, nec pocula gratum
Alconis referent, Bœtiq́; toreuma, nec Indi
Conchea bacca maris precio est: At pectore puro
Sæpe super tenero prosternit gramine corpus,
Florida cum tellus gemmantes picta per herbas
Vere notat dulci distincta coloribus arua:
Atq; illum thalamo lætum retinente palustri,
Ociaq́; inuidia degentem ac fraude remota,
Pollentemq́; sibi, viridi cum palmite lucens
Vitea pampineo subter coma velat amictu.
Illi sunt gratæ rorantes lacte Capellæ,
Et nemus, & fœcunda Pales, & vallibus imis
Semper opaca nouis manantia fontibus antra.

Quis magis optato queat esse beatior æuo,
Quam qui mente procul pura, sensuq; probando
Non auidas agnouit opes, non tristia bella,
Nec funesta timet validæ certamina classis?
Non, spolijs dum sancta Deum fulgentibus ornet
Templa, vel euectus finem transcendit habendi,
Aduersum sæuis vltro caput hostibus offert.

Illi falce Deus colitur, non arte politus,
Ille colit lucos, illi Panchaica thura,
Floribus agrestes herbæ variantibus assunt:
Illi dulcis adest requies, & pura voluptas,
Libera simplicibus curis, huic imminet omnis,
Dirigit huc sensus, hæc cura est subdita cordi,
Quolibet vt requie victu contentus abundet,
Iucundoq; locet languentia corpora somno.

O Pecudes ô Panes, & ô gratissima Tempe
Fontis Hamadriadum, quarum non diuite cultu
Aemulus Ascræo pastor sibi quisq; Poëtæ
Securam placido traducit pectore vitam.

TITVS LVCRETIVS,
IN LIB. V. FINE.

SAepe itaq; inter se prostrati in gramine molli
Propter aquæ riuum, sub ramis arboris altæ,
Non magnis opibus iucundè corpora habebant:
Præsertim cùm tempestas ridebat, & anni
Tempora pingebant viridanteis floribus herbas.
Tum ioca, tum sermo, tum dulces esse cachinni
Consuêrant: agrestis enim tum musa vigebat.
Tum caput, atq; humeros plexis redimire coronis,
Floribus, & folijs lasciuia læta monebat;
Atq; extra numerū procedere membra mouentes
Duriter

Duriter, & duro terram pede pellere matrem.
Vnde oriebantur risus, dulcésq; cachinni,
Omnia quòd noua tum magis hæc & mira vige-
Et vigilantibus hinc aderant solatia somno, (bant.
Ducere multimodis voces, & flectere cantus,
Et supra calamos vnco percurrere labro.
Vnde etiam vigiles nunc hæc accepta tuentur:
Et numerûm seruare genus didicêre: neq; hilo
Maiore interea capiunt dulcedine fructum,
Quàm syluestre genus capiebat terrigenarum.
Nam quod adest præstò (nisi quid cognouimus antè
Suauius) in primis placet, & pollere videtur:
Posteriorq; ferè melior res: ille reperta
Perdit, & immutat sensus ad pristina quæque.
Sic odium cepit glandis; sic illa relicta
Strata cubilia sunt herbis, & frondibus aucta.
Pellis item cecidit: vestis contemta ferina:
Quam reor inuidia tali tunc esse repertam,
Vt letum insidijs, qui gessit primus, obiret:
Et tamen inter eos distractam sanguine multo
Disperijsse, neq; in fructum conuertere quîsse.
Tunc igitur pelles, nunc aurum, & purpura curis
Exercent hominum vitam, belloq; fatigant.
Quo magis in nobis (vt opinor) culpa resedit.
Frigus enim nudos sine pellibus excruciabat
Terrigenas: at nos nil lædit veste carere
Purpurea, atq; auro, signísq; ingentibus apta:
Dum plebeia tamen sit, quæ defendere possit.

Ergo

Ergo hominum genus incassum, frustraq́ꝫ laborat
Semper, & in curis consumit inanibus æuum:
Nimirum, quia non cognouit, quæ sit habendi
Finis, & omnino quoad crescat vera voluptas.

Q. HORATIVS FLACCVS, IN III. LIBRI ODE XXIX.

PLærunq; gratæ diuitibus vices,
Mundæq́ꝫ paruo sub lare pauperum
Cœnæ, sine auleis & ostro
Sollicitam explicuére frontem.

Idem lib. I. Ode I.

Luctantem Icarijs fluctibus Africum.
Mercator metuens, ocium & oppidi
Laudat rura sui, mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.

Me doctarum hederæ præmia frontium
Dijs miscent superis; me gelidum nemus
Nympharumq́ꝫ leues cum Satyris chori
Secernunt populo, si neq́ꝫ tibias

Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesborum refugit tendere barbiton.

Idem

Idem in Ode XVI. Lib. II.

Viuitur paruo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum,
Nec leues somnos timor, aut cupido
Sordidus aufert.

Non enim gazæ, neq; consularis
Summouet Lictor miseros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.

Scandit æratas vitiosa naues
Cura, nec turmas equitum relinquit;
Ocyor ceruis, & agente nymbos
Ocyor Euro.

Lætus in præsens animus, quod vltra est
Oderit curare, & amara lento
Temperet risu: NIHIL EST AB OMNI
PARTE BEATVM.

Idem in Ode 10. Libri eiusdem.

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret inuidenda
Sobrius AVLA.

Sæpius

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celsæ grauiore casu
Decidunt Turres, feriuntq; summos
Fulmina montes.

Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene præparatum
Pectus. informes hyemes reducit
Iuppiter, idem

Summouet. non, si male nunc, & olim.
Sic erit, quondam Cythara tacentem
Suscitat Musam, neq; semper arcum
Tendit Apollo.

Rebus angustis animosus, atq;
Fortis appare: sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

IDEM IN LIBRO EPODON, Ode 2.

De laudibus Rusticæ vitæ

Beatus ille, qui procul negocijs,
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore,
Nec excitatur classico miles truci,
Nec horret iratum mare,

Forumq;

Forumq́; vitat, & superba ciuium
Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos,
Aut in reducta valle mugientium
Prospectat erranteis greges;
Inutileisq; falce ramos amputans,
Feliciores inserit;
Aut pressa puris mella condit amphoris,
Aut tondet infirmas oueis;
Vel cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus aruis extulit,
Vt gaudet insitiua decerpens pyra,
Certantem & vuam purpuræ,
Qua muneretur te Priape, & te Pater
Syluane, tutor finium,
Libet iacere modò sub antiqua ilice
Modò in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquæ,
Quæruntur in syluis aues;
Fontésq; lymphis obstrepunt manantibus,
Somnos quod inuitet leueis.
Ad cum tonantis annus Hybernus Iouis
Imbreis, niueisq́; comparat,
Aut trudit acreis hinc & hinc multa cane
Apros in obstanteis plagas:
Aut amite leui rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos;

Z Paui-

Pauidumq́; leporem, & aduenam laqueo gruem,
    Iucunda captat præmia:
Quis non malorum, quas amor curas habet,
    Hæc inter obliuiscitur?
Quod si pudica mulier in partem iuuet,
    Domum, atq; dulceis liberos,
Sabina qualis, aut perusta solibus
    Pernicis vxor Appuli,
Sacrum vetustis extruat lignis focum,
    Lassi sub aduentum viri:
Claudensq́; textis cratibus lætum pecus,
    Distenta siccet vbera:
Et horna dulci vina promens dolio,
    Dapes inemptas apparet,
Non me Lucrina iuuerint conchylia,
    Magisue Rhombus, aut Scari,
Si quos Eois insonata fluctibus
    Hyems ad hoc vertat mare.
Non Afra auis descendat in ventrem meum,
    Non Attagen Ionicus
Iucundior; quam lecta de pinguissimis
    Oliua ramis arborum,
Aut herba Lapathi prata amantis, & graui
    Maluæ salubres corpori,
Vel agna festis cæsa terminalibus,
    Vel hœdus ereptus Lupo.
Has inter epulas, vt iuuat pastas oueis
    Videre properanteis domum,

Videre fessos vomerem inuersum boues
Collo trahenteis languido;
Positósque vernas, ditis examen domus,
Circum renidenteis lareis.
Hæc vbi locutus, fœnerator Alphius
Iam iam futurus rusticus,
Omnem relegit idibus pecuniam,
Quærit Calendis ponere.

Idem in libro 3. Carminum,
Ode 24.

Campestres melius Scythæ,
Quorum plaustra vagas ritè trahunt domos,
Viuunt; & rigidi Getæ,
Immetata quibus iugera liberas
Fruges, & Cererem ferunt,
Nec cultura placet longior annua;
Defunctúmque laboribus
Aequali recreat sorte vicarius.

Idem libro 2. Sermonum,
Satyr. 2.

—variæ res
Vt noceant homini credas, memor illius escæ
Quæ simplex olim tibi sederit. at simul aßis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis,

Dulcia se in bilem vertent, stomachoq; tumultum
Lenta feret pituita: vides vt pallidus omnis
Cœna desurgat dubia.

Idem libro I. Sermonum,
Satyr. 6.

Nollem onus haud vnquā solitus portate molestū.
Nam mihi continuò maior quærenda foret res
Atq; salutandi plures: ducendus & vnus,
Et comes alter, vti ne solus, rúsve, peregréve
Exirem: plures calones, atq; caballi
Pascendi: ducenda petorita. nunc mihi curto
Ire licet mulo, vel si libet, vsq; Tarentum: (mos.
Mantica cui lumbos onere vlcerat, atq; eques ar-
Obijciet nemo sordeis mihi, quas tibi Tulli:
Cum Tyburte via Prætorem quinq; sequuntur
Te pueri lasanum portantes, œnophorúmque.
Hoc ego commodius, quam tu præclare Senator,
Milibus atq; alijs viuo. quacunq; libido est,
Incedo solus: percontor, quanti olus, ac far:
Fallacem circum, vespertinumq; pererro
Sæpe forum: aßisto diurnis: inde domum me
Ad porri & Ciceris refero, laganiq; catinum.
Cœna ministratur pueris tribus: & lapis albus
Pocula cum cyatho duo sustinet. astat echinus
Vilis: cum patera guttus, Campana suppellex.
Deinde eo dormitum, non sollicitus mihi quòd cras
Surgen-

Surgendum sit mane, obeundus Marsya, qui se
Vultum ferre negat Nouiorum posse minoris.
Ad quartam iaceo, post hanc vagor, aut ego lecto,
Aut scripto, quod me tacitum iuuet, vngor oliuo,
Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.
Ast vbi me fessum Sol acrior ire lauatum
Admonuit, fugio rabiosi tempora signi.
Pransus non auidè, quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domesticus otior, hæc est
Vita solutorum misera ambitione, grauíque:
His me consolor victurum suauius, ac si
Quæstor auus, pater atque meus, patruúsque fuissent.

Idem libro 2. Sermonum,
Satyr. 6.

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
Hortus vbi, & tecto vicinus iugis aquæ fons,
Et paulum sylua super his foret; auctius, atque
Dij melius fecere bene est. nihil amplius oro
Maia nate, nisi vt propria hæc mihi munera faxis.
Si neque maiorem feci ratione mala rem:
Nec sum facturus vitio, culpáve minorem:
Si veneror stultus nihil horum: ô si angulus ille
Proximus accedat, qui nunc deformat agellum:
O si vrnam argenti fors qua mihi monstret, vt illi
Thesauro inuento qui mercenarius agrum
Illum ipsum mercatus arauit diues amico

Hercule: si quod adest, gratum iuuat: hac prece te
Pingue pecus domino facias, & cætera, præter (oro
Ingenium: vtq; soles custos mihi maximus adsis.

Idem ibid.

O rus, quando ego te aspiciam? quandoq; licebit
Nunc veterū libris, nunc somno, & inertibus horis
Ducere sollicitæ iucunda obliuia vitæ?
O quando faba Pythagoræ cognata, simulq;
Vncta satis pingui ponentur oluscula lardo?
O noctes, cœnæq; Deûm, quibus ipse, meiq;
Ante larem proprium vescor: vernásq; procaces
Pasco libatis dapibus. prout cuiq; libido est,
Siccat inæqualeis calices conuiua, solutus
Legibus insanis: seu quis capit acria fortis
Pocula: seu modicis humescit lætius. ergo
Sermo oritur, non de villis, domibúsq; alienis: (nos
Nec malè, nécne Lepos saltet: sed quod magis ad
Pertinet, & nescire malū est, agitamus: vtrúmne
Diuitijs homines, an sint virtute beati:
Quídve ad amicitias, vsus rectúmne trahat nos:
Et quæ sit natura boni summumq; quid eius.
Seruius hæc inter vicinus garrit anileis
Ex re fabellas. nam si quis laudat Arelli
Sollicitas ignarus opes, sic incipit: Olim
Rusticus vrbanum murem mus paupere fertur
Accepisse cauo, veterem vetus hospes amicum,

Asper,

Asper, & attentus quæsitis: vt tamen arctum
Solueret hospitijs animum. quid multa? neq; ille
Sepositis ciceris, nec longæ inuidit auenæ:
Aridum & ore ferens acinum, semesáq; lardi
Frusta dedit, cupiens varia fastidia cœna
Vincere, tangentis malè singula dente superbo:
Cùm pater ipse domus palea porrectus in horna
Esset ador, loliúmque, dapis meliora relinquens,
Tandem vrbanus ad hunc: quid te iuuat, inquit, a-
Prærupti nemoris patientem viuere dorso? (mice
Vis tu homines, vrbemq́; feris præponere syluis?
Carpe viam (mihi crede) comes: terrestria quãdo
Mortaleis animas viuunt sortita: neq; vlla est,
Aut magno, aut paruo lethi fuga. quo bone circa
Dum licet, in rebus iocundis viue beatus:
Viue memor quàm sis æui breuis. hæc vbi dicta
Agrestem pepulêre: domo leuis exilit. inde
Ambo propositum peragunt iter, vrbis auentes
Mœnia nocturni subrepere. iamq́; tenebat
Nox medium celi spatium, cùm ponit vterq;
In locuplete domo vestigia, rubro vbi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos:
Multaq́; de magna superessent fercula cœna:
Quæ procul extructis inerant hesterna canistris.
Ergo vbi purpurea porrectum in veste locauit
Agrestem; veluti succinctus cursitat hospes;
Continuatq́; dapes: nec non vernaliter ipsis
Fungitur officijs, prælambens omne, quod affert.

Ille cubans gaudet mutata sorte: boníſq;
Rebus agit lætum conuiuam: cum subitò ingens
Valuarum strepitus lectis excußit vtrunque.
Currere per totum pauidi conclaue, magíſque
Exanimes trepidare, simul domus alta moloßis
Personuit canibus. tum rusticus: haud mihi vita
Est opus hac, ait, valeas: me sylua, cauúſque,
Tutus ab insidijs tenui solabitur eruo.

ALB. TIBVLLVS,

EQ. ROM.

In lib. 1. Elegia. 10.

QVin igitur laudandus hic est, quē prole para-
Occupat in parua pigra senecta casa? (ta
Ipse suas sectatur oues, at filius agnos,
Et calidam fesso comparat vxor aquam.
Sic ego sim, liceatq; caput canescere canis,
Temporis & prisci facta referre senem.

Idem in libro eodem, Eleg. 1.

Diuitias alius fuluo sibi congerat auro,
Et teneat culti iugera magna soli,
Quem labor aßiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos claßica pulsa fugent.

Me mea paupertas vitæ traducat inerti,
Dum meus aßiduo luceat igne focus.

Idem in libro eodem, Eleg.10.

Diuitis hoc vitium eſt auri; non bella fuerunt
Faginus aſtabat cum Scyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat, ſomnumq́ petebat
Securus varias dux gregis inter oues.

P. OVIDIVS NASO,

IN LIB. III. DE TRIST.

Elegia 4.

O *Mihi care quidem ſemper, ſed tempore duro*
Cognite, res poſtquam procubuêre meæ,
Vſibus edocto ſi quidquam credis amico,
Viue tibi, & longè nomina magna fuge.
Viue tibi, quantumq́ potes prælustria vita,
Sæuum præluſtri fulmen ab Arce *venit,*
Nam quanquam ſoli poſſunt prodeſſe Potentes,
Non proſit potius, ſi quis obeſſe poteſt.
Effugit hybernas demiſſa antenna procellas,
Lataq́ plus paruis vela timoris habent.
Aſpicis vt ſumma cortex leuis innatat vnda,
Cum graue nexa ſimul retia mergat onus?
His ego ſi monitis monitus prius ipſe fuiſſem,
In qua debebam forſitan vrbe forem.

Dum tecum vixi, dum me leuis aura ferebat,
Hæc mea per placidas cymba cucurrit aquas.
Qui cadit in plano, vix hoc tamen euenit ipsum,
Sic cadit, vt tacta surgere poßit humo.
At miser Elpenor tecto delapsus ab alto
Occurrit Regi flebilis vmbra suo.
Quid fuit, vt tutas agitaret Dædalus alas?
Icarus immensas nomine signet aquas?
Nempe quod hic alte, demißius ille volabat;
Nam pennas ambo non habuêre suas.

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, & intra
Fortunam debet quisq; manere suam.
Non foret Eumenides orbus, si filius eius
Stultus Achilleos non adamasset equos.
Nec natum in flamma vidisset, in arbore natas,
Cœpisset genitor si Phaëthonta Merops.
Tu quoq; formida nimium sublimia *semper,*
Propositiq; precor contrahe vela tui.

Idem libro 2. de Ponto.

Tempus in agrorum cultu consumere dulce est.

LVCANVS, IN LIB. V. BELLI CIVIL.

——*O vitæ tuta facultas*
Pauperis, angustiq; laris, ô munera nondum
Intelle-

Intellecta Deûm. quibus hæc contingere templis
Aut muris potuit? nullo trepidare tumultu
Cæsarea pulsante manu?

Idem in lib. III. bell. ciuil.

DIscite quam paruo liceat producere vitam,
Et quantnm natura petat. non erigit ægros
Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus:
Non auro myrrhaq; bibunt, sed gurgite puro
Vita redit: satis est populis fluuiusq; cerésq;.

BOETIVS METRO: IIII. LIB. II.

FVgiens periculosam
Sortem sedis amœnæ,
Humili domum memento
Certus figere saxo.
Quamuis tonet ruinis
Miscens æquora ventus,
Tu conditus quieti
Felix robore valli,
Ducis serenus æuum,
Ridesq; ætheris iras.

L. AN-

L. ANNEVS SENECA IN TRAGOEDIIS.

IN HERCVLE FVRENTE.

——Me mea tellus
Lare ſecreto, tutoq; tegat.
Venit ad pigros cana ſenectus,
Humiliq; loco, ſed certa ſedet,
Sordida paruæ fortuna domus
Altè virtus animoſa cadit.

IN THYESTE.

STet, quicunq; volet, potens,
AVLÆ *culmine lubrico.*
Me dulcis ſaturet quies,
Obſcuro poſitus loco,
Leni perfruar ocio.
Nullis nota Quiritibus
Aetas per tacitum fluat.
Sic cum tranſierint mei
Nullo cum ſtrepitu dies.
Plebeius moriar ſenex.
Illi mors grauis incubat,
Qui notus nimis omnibus
Ignotus moritur ſibi.

Idem

Idem ibid.

Humi iacentem ſcelera non intrant caſam,
Tutusq́; menſa carpitur anguſta cibus.

IN OEDIPO.

Fata ſi liceat mihi
Fingere arbitrio meo,
Temperem Zephyro leni
Vela, ne preſſæ graui
Spiritu antennæ tremant.
Lene, ſed modicum fluens
Aura, nec vrgens latus,
Ducat intrepidam ratem:
Tuta me media vehat
Vita decurrente via,
Gnoſium Regem timens.
Alta dum demens petit
Artibus fidens nouis,
Certat & veras aues
Vincere, ac falſis nimis
Imperat pennis puer,
Nomen eripuit freto.
Callidus medium ſenex
Dædalus librans iter
Nube ſub media ſtetit
Alitem ſpectans ſuam.
Qualis accipitris minas

Fugit,

Fugit, & sparsos metu
Colligit fœtus auis:
Donec in ponto manus
Mouit implicitas puer,
Comes audacis viæ.
Quicquid excessit modum,
Pendet instabili loco.

Ibidem.

Qui sceptra duro sæuus imperio regit,
Timet timentes, metus in autorem redit.

IN HERCVLE OETHEO.

Colit hic Reges, calcet vt omnes,
Perdatq́; aliquos nullumq́; leuet,
Tantum vt noceat cupit esse potens.
Quota pars moritur tempore fati?
Quos felices Cynthia vidit,
Vidit miseros arbitura dies.
Rarum est, Felix idemq́; senex.
Cespes, Tyrio mollior ostro
Solet impauidos ducere somnos.
Aurea rumpunt tecta quietem,
Vigilesq́; trahit purpura noctes.

IN AGAMEMNONE.

——*Quicquid in altum*
Fortuna tulit, ruitura leuat.

Medicin

Modicis rebus longius æuum est.
Felix mediæ quisquis turbæ
Parte quietus, aura stringit
Littora tuta, timidusq́ mari
Credere cymbam, remo terras
Propiore legit.

In Hippolyto.

NOn alia magis est libera, & vitio carens,
Ritusq́ melior vita quæ priscos colat,
Quam quæ relictis mœnibus syluas amat.
Non illum amaræ mentis inflammat furor,
Qui se dicauit montium insontem iugis,
Non aura populi, & vulgus inuidum bonis,
Non pestilens inuidia, non fragilis fauor;
Non ille regno seruit, ac regno inuidet,
Vanos honores sequitur, aut fluxas opes,
Spei metusq́ liber, haud illum niger
Edaxq́ liuor dente degeneri petit.
Nec scelera, populos, atq́ inter vrbes sita
Nouit, nec omnes conscius strepitus pauet.

MARTIALIS, IN LIB. IX. EPIGRAM. AD CONDILVM.

QVæ mala sint Domini, quæ serui commoda (nescis
Condile, qui seruum te gemis esse diu.

Dat

Dat tibi securos vilis lecticula somnos,
Peruigil in plumis Caius ecce iacet.
Caius à prima tremebundus luce salutat
Tot dominos, at tu Condile nec dominum.
Quod debes Cai redde, inquit Phœbus, & illinc
Cinnamus, hoc dicit Condile nemo tibi.
Tortorem metuis? podagra chiragraq́ secatur
Caius, & mallet verbera mille pati.

CLAVDIANVS, IN LIB. I. IN RVFFINVM.

—Contentus honesto
Fabricius paruo, spernebat munera Regum,
Sudabatq́ graui consul Serranus aratro,
Et casa pugnaces Curios angusta tenebat.
Hæc mihi paupertas augustior, hæc mihi tecta
Culminibus maiora tuis: tibi quærit inanes
Luxuries nocitura cibos, mihi donat inemtas
Terra dapes: rapiunt Tyrios tibi vellera succos,
Et picturatæ saturantur murice vestes,
Hîc radiant flores, & prati viua voluptas,
Ingenio variata suo, fulgentibus illic
Surgunt structa thoris, hîc mollis panditur herba,
Sollicitum curis non abruptura soporem.
Turba salutantum latas tibi perstrebit ædes,
Hic auium cantus, labentis murmura riui.
Viuitur exiguo melius, Natura beatis

Omni-

Omnibus esse dedit, si quis cognouerit uti.
Hæc si nota forent frueremur simplice cultu,
Classica non fremerent, nō stridula fraxinus iret,
Non ventus quateret puppes, nō machina muros.

IDEM DE SENE, QVI IVXTA VERONAM CONsistens, villa sua nunquam egressus esset.

FElix qui proprijs æuum transegit in aruis,
Ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem:
Qui baculo nitens, in qua reptauit harena
Vnius numerat secula longa casæ.
Illum non vario traxit fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas mobilis hospes aquas.
Non freta mercator timuit, non classica miles,
Non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis rerum, vicinæ nescius vrbis,
Aspectu fruitur liberiore poli.
Frugibus alternis, nō Consule computat annum,
Autumnum pomis, ver sibi flore notat.
Idem condit ager soles, idemq; reducit,
Metiturq; suo rusticus orbe diem.
Ingentem meminit paruo qui gramine quercum,
Aequæuumq; videt consenuisse nemus.
Proxima cui nigris Verona remotior Indis,
Benacumq; putat littora rubra lacum.

Sed tamen indomitæ vires, firmisq́ lacertis
Aetas robustum tertia cernit auum.
Erret, & extremos alter scrutetur Iberos,
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

IVVENALIS SATYR. XIIII.

Viuite contenti casulis, & collibus istis,
O pueri, Marsus dicebat, & Hernicus olim,
Vestinusq́ senex: panem quæramus aratro
Qui satis est mensis.

Idem ibid. de Diogene.

Sensit Alexander, testa cum vidit in illa
Magnum habitatorem, quanto felicior hic qui
Nil cuperet, quam qui totum sibi posceret orbem.

PERSIVS SATYR. III.

——Rure paterno
Est tibi far modicum, purum & sine labe salinum,
Quid metuas? cultrixq́ foci secura patella:
Hoc satis est.

AVSONIVS IN LIB. EPIGRAM.

DE AGATHOCLIS SICILIÆ REGIS FRVGALITATE.

Fama est fictilibus cœnâsse Agathoclea Regem,
Atq; abacum samio sæpe onerâsse luto,

Fercula

Fercula gemmatis cum poneret aurea vasis,
Et misceret opes pauperiemq́; simul.
Quærenti causam respondit; Rex ego qui sum,
Sicaniæ figulo sum genitore satus.

Fortunam reuerenter habe, quicunque repente
Diues ab exili progrediêre loco.

ACT. SINC. SANNAZ.

Ad Marin. Caracciol.

FOrtunam qui auidè vorare pergit,
Eandem malè concoquat necesse est.

MARTIALIS,

De vita beata.

VItam quæ faciunt beatiorem,
Iucundißime Martialis hæc sunt.
Res non parta labore, sed relicta,
Non ingratus ager, focus perennis,
Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, salubre corpus,
Prudens simplicitas, pares amici,
Conuictus facilis, sine arte mensa,
Nox non ebria, sed soluta curis,

Non tristis thorus, attamen pudicus,
Somnus qui faciat breues tenebras.
Quod sis esse velis, nihilque malis;
Summum nec metuas diem, nec optes.

THOMAS MORVS.

AGros ego haud porrectiores appeto,
Non auream aut Gygis beatitudinem.
Quæ sit satis sibi, vita sat eadem est mihi:
Illud NIHIL NIMIS, *nimis mihi placet.*

P. LOTICHIVS SECVNDVS.

Ex Carmine In pagum prope Nicrum, libro 2. Carminum.

RVra sacros Vates, gelidæq; in vallibus vmbræ,
Blandaq; graminei cespitis herba iuuant.
Lib. 3. Eleg. Ele. 8. *Grataq; delectant ignobilis ocia vitæ;*
Rura dapes, vmbram dat nemus, amnis aquas.

H. Pe-

H. Petreus Herdes.

NOBILI DOCTOQVE

FRANCISCO à Dombsdorff, ocia cum Musis agenti ad Padum Herciniæ.

TV secura tuis, Francisce, agis ocia syluis,
Et modò Pieridûm deuenerare choros,
Et modò per virides saltus, latebrasq́ue ferarum,
Insequeris iaculis & cane capreolos;
Iamq́ue cita claudis tacitos indagine colles,
Iamq́ue premis rigidi per iuga montis apros:
At mihi pallentes febris depascitur artus,
Guttur & infesta torret anhela siti;
Nec tantum fortunatis deseruio Musis,
Fata miser quantum cogor acerba queri.
Hactenus informes potui compescere curas,
Verbaq́ue fortunæ (corde valente) dare:
At fera me totum voluit nunc Aula iacere,
Et terere ætatis tempora dura meæ.
Forte quis afflictis ausus confidere rebus,
Ocia cum Musis grata quietus agat,
Cum furibunda graui mox illa tonitrua bello
Concitat, ac tristes imperiosa minas;
Ac face turbatos animos populatur operta,
Expers & medicæ sæua corrit opis.

Sed tu, Castalidum non vltima cura sororum,
Excedens animis ingenioq́ genus;
Qui genus & proauos, & quæ non feceris ipse,
Vix tua (cum non sint pectoris) esse putas;
Dulcis amicitiæ memor, optatissime, tecum
Vere frui socium versicolore sine;
Et tecum syluis, tecumq́ nitentibus hortis,
Inter odoriferas viuere ruris opes.
Iam videor leni salientes murmure riuos
Visere, & Hercynijs pulcra vireta iugis,
Visere iam valles, iam prata, Padumq́ sonantem,
Aërioq́ feris tendere monte plagas.
Illas docta colunt Musarum numina syluas,
Ipseq́ culta Padi flumina Phœbus amat.
Vndiq́ Saxonicæ Proceres & lumina gentis,
Castra feris olim constituêre iugis,
Henricusq́ potens & Cæsar, & impiger idem
Auceps, hîc fisco sæpe fefellit aues.
Hæc iuga venandi studio lustrauit, & inter
Argutas recubans sæpe quieuit aues.
Hîc fera terrifici belli simulacra ciebat,
Iam nectens vrsis retia, iamq́ lupis.
Deniq́ fatales heros cum finijt annos,
Hic voluit moriens ossa quiete frui;
Post obitus & humo Cæsar requiescit eâdem,
Qua placidè viuus sæpe quiêrat humo.
Hos igitur tecum saltus, nemorumq́ recessus
Quin colo, quos Cæsar, quos coluêre Duces?

Quin roseum, Francisce, sequor ver? ocia membra,
Et requies animos aurea vere iuuet.
Temporis aureolum fugit, aureolumq; iuuentæ
Ver, at hyems subitis cana redit pedibus.
Temporis ergo fruar pariter, pariterq; iuuentæ
Vere, sequens portat non meliora dies.

HIERON. FRACASTORIVS.

Ad Baptiſtam Turrium Veron.

MAne domi validos pluuia vt cõclusit agrestes,
Cæditur iliceo distenta sagimine porca.
Læta domus: tum sollicita in farcimine mater
Pingue suis niueum, & dissecti frusta cerebri,
Et niueum lac purpureo cum sanguine miscet.
Tũ semẽ marathri, atq; arentis gramina thymbræ
Adijcit, inspersoq; coli sale concaua complet.

Ad eundem.

FRigidus at siluis Aquilo si increuerit, aut si
Hiberni pluuijs descendent nubibus imbres,
Nos habeat domus, & multo Lar luceat igne.
Vpilio ingentem aut fagum, vel scißile robur
Sufficiat, tum vos, claro quando igne soletis
Iuniperi suaueis circum diffundere odores,
Et vos Palladiæ flamis imponat oliuæ.
Ante focum tibi paruus erit, qui ludat, Iulus
Blanditias ferat, & nondum constantia verba.

Ipse legam magni tecum monumenta Maronis.
O fortunatos nimium, si fata, quod æui
Nos manet, hac vna dederint producere vitam.

Ad eundem.

Nox venit, & pastæ redeunt ad tecta capellæ.
Præ caper it, cui barba iubat, cui cornua pendent
Intorta, & grandes olido de corpore setæ.
Pone gregem reliquum compellit arundine virgo
Vpilio, multo armantur cui baltea fuso.
At mater longæua, igni dum braßica feruet.
Mulctra effert grauidoq; recens lac vbere mulget.
Rusticus intereà pinguis collector oliuæ,
Intereà & validus prima de nocte bubulcus
Aduenere domum: congesta tum focus orno
Ingenti, aut fago, vel fragmine roboris, ardet.
Tolluntur lætæ flamæ, lateq; relucent.

Aliud incidens ad eundem.

At nemora, & liquidis manantia fontibus arua,
Et placidus myrteta inter, laurosq; virentes
Vicinus nitido Benacus labitur amne.
At focus, & circum pueri vernæq; canentes;
Dum cena vndanti coquitur siluestris aheno,
Grandiaq; exurunt crepitantes robora flammæ;
Suspensæ è summis pendent laquearibus vuæ,
Malaq;, Castaneæq;, & passo fistula ventre
Hiberna de nocte, boum stabula alta petuntur.
Vnà

Vnà omnes matrésq; , viriq; , omnísq; iuuentus
Insomnem exercent noctem: pars pensa fatigat:
Pars texit teneros Amerino vimine quallos:
Atq; anus has aliqua intereà, dum vellere carpit,
Et teretem tremulo propellit pollice fusum,
Languenteis oculos fabella fallit inani.

Ad eundem.

Illa colum exercens saxo consedit aprico,
Læta tempore nouo, & liquefacta Sole pruina:
At iuxta nemore in magno grex pascitur omnis.

Ad eundem.

Iam veniet ver purpureum, iuuenísq; reuertens
Annus aget Zephyros, & cælo desuper alto
Deducet pleno genitalia semina cornu:
Vnde hominũ genus, & pecudũ, vitæq; natantum,
Et pictæ volucres, & amantes rorida plantæ,
In venerem cæco æterni rapiuntur amore.
Gaudete, ô, quicunq; bonum speratis, agrestes,
Quorũ amor est sobolis, studiumq; nepotibus arua
Incolere, & paruas vlmis attollere vites.

ACHILLES BOCHIVS BONONIEN.

In Symbolicarum Quæstionum, lib. I. Mensæ domesticæ Symbola 10.

SYMB. XXVII.

Corpus simplicibus cibis: Deiq;
Verbo pasce animum tuum vsq; & vsque.
Testem quicquid agis Deum inuocato:
Quod sat est cupiens, nihil dolebis.
Naturam sequere omnibus magistram:
Continentia te beabit vna.
Semper quid decet, expeditve, nosce:
Vita est moribus in bonis beata.
Quisquis sustinet, abstinétve, Rex est:
Id tantum cupias quod est amandum.

Idem ad

HIERON. FERRIVM CIVEM BONON.

SYMB. C.

SIc viue, ne sit cur olim quispiam
De te, vel ipsę conqueri
De quopiam, aut de sorte poßis: ipse nec
Cuiquam volens iniuriam
Facito: nec vnquam credito factam tibi.
Si vis beate viuere,

Assuesce

Assuesce conditione quantula tua
Vti, & minus de illa queri.
Apprende quicquid commodi circa se habet.
Quippè vsque adeo acerbum est nihil,
In quo aequus animus quidpiam solatij
Non inuenire sit potis.

Idem lib. 5. ad

ROMVLVM AMASÆVM, λάθεβιώσας.

SYMB. CXXXIII.

Consilium, quod nulla queat vis frāgere, iniui
Romule iampridē, latebras mihi quaerere, &
Auia constitui, contentus viuere paruo, (antra
Securumq́; sequi dulcis genus id mage vitae,
Quam cum tot, tantísq; laboribus, atq; periclis,
Vel terrarum orbis totius sceptra tenere.
Namq; parum facio, ne tantillum quidē, honores
Hosce fugaces, quos vulgus miratur, & optat
Quando quidem inuidiae morbo, curísq; videntur
Sollicitis, penitúsq; malis esse vndique pleni.
Nec me cunctorum coget pater ille malorum
Plutus opes inhiare suas, & inania regna,
Plutus quem spinis confert sapienter acutis
Oraculum semper verax: nam pungit habentum
Infima sexcentis agitans praecordia curis,
Nec pungit modò, sed miseris corda intima rodit:

Nec

Nec prodesse sinit potus alimenta, cibiuè,
Nec fessa irriguo perfundi membra sopore
Vita breuis docet omneis spes præcidere inanes,
Quæq; meas superant vires, ac mille pericla
Omnibus intendunt horis. verum quia nemo
Tempore perpetuo heic mãsuram possidet vrbem,
Quærenda haud dubiè est nobis illa illa perennis,
Quam nunquã assequitur qui mundi huiusce do-
Se semel illecebris permiserit irretiri. (losis
Vni igitur, veroq; Deo seruire, nec vlli
Præterea statuo. est etenim verus Deus vnus
At contra falsi reliqui omnes prorsus, humiq;
Serpentes, genuit quos noxæ deditus olim
Fatali pater infelix ab origine prima
Ac nullum excipio, vt magnus, paruúsve sit ille.
Ter vero execrandus, & amplius esse putatur,
(Diuinis nisi si scriptis nil credimus) is qui
Perquirit toto mortalia pectore demens,
Quiq; suas homine in solo spes collocat omnes.
Quare etiam atq; etiã fateor, semperq; fatebor,
Tantum vni seruire Deo me constituisse.
Hei mihi quam multũ effluxit prærerq; volauit
Temporis incassum: sed id irreparabile cum sit
Quid faciam? serò, quod dicitur, est satius quam
Non vnquam sapere. ob commissa piacula tecum
Si doleas: vitia & vitans, bene semper agendi
Firmũ habeas posthac animũ; tum gratia magni
Sat tibi sola Dei fuerit: qui tempore in ipso
Postre-

Postremis eadem quæ primis munera donat.
Hunc igitur primũ colere, hũc vehemẽter amare
Tota ex mẽte volo, ex anima, ex penetralibus imi
Cordis. cumq; valere scius iam dixero multis,
Quæ prius admirabar tanquam maxima prorsus
Abijciam, meq; huic, sic stat sententia, dedam.
Hanc mihi proposui certam, faxis modo Christe,
Decurso possim spacio contingere, metam.
Spei vero, pietatis: & alti factus amoris
Muneribus locuples, inimicos æquè, & amicos
Diligere, exemploq; tuo facere ijs bene semper
Cumq; bonis pacatam, & honestis degere vitam
Forti animo, quæcunq; dedit Deus omnia ferre,
Deniq; cœlesti ex auro exspectare coronam
Qua redimire pios se velle æterna potestas
Pollicita est, vana nec spe frustratur amantes.
Plutus hic est verus qui maximus, optimus vnus
Autor inexhaustæ lucis largitur honores
Aeternos, & opes veras, vitamq; beatam:
Non veluti stygius scelerum sator ille tyrannus
Qui falsas ostentat opes, ostentat honores,
Dum parat exitium stultis, noctemq; profundam
Ad summam falsò cæcis bona credita vitæ
Quippe hominũ ijs fruitur vita, aurũ, gloria Mun-
Quæ tanti plæriq; solent facere, omnia planè, (dus
Omnia planè inquam à vita disiuncta superna,
Nil propè sunt aliud, quã puluis, inanis & vmbra,
Luctus atrox, nugæq; meræ, & lachrymabile letũ.

IOHAN-

PARS ALTERA,

IOHAN. FICHARDI

I. C. Francofortensis, Anno ætatis suæ LXVI. Ad Iesum Christum Seruatorem

VOTVM.

O Mihi quando quies dabitur? quādoq́ licebit,
Sollicito hoc studio Legumq́ Foriq́ relicto,
Nunc sacris libris (non somno & inertibus horis)
Nunc & Philosophis, nunc Historicis relegendis,
Ducere tranquillam iucunda per ocia vitam?
Vt mißis alijs, quibus hinc obstringor & inde,
Seruiat hæc tantùm Patriæ nunc serior ætas;
Vt faciam facienda lubens, ingrata relinquam,
Nec sic inuitus cogar sufferre labores
Omnigenos, partim duros, partimq́ profanos,
Quos propter satiata ferè mens nauseat, & Cor.
Hortule, deliciæ domini, mihi quando vacabit
Te colere, atq́ inter frondes, interq́ volucres,
Abdita cum placidis agere ocia deniq́ Musis?
Vixi hucúsq́ alijs, curis exercitus atq́
Sollicitudinibus varijs, non absq́ periclis,
Quæ mihi non raro Legato, obeunda fuêre.
Iam rude donari, iam, dulcis amore quietis,
Viuere quod superest, cupio tranquillus & opto.
Quando autē dabitur tandē, MIHI *viuere posse,*
Immo CHRISTE TIBI? *qui solus terminus atq́*
Vnicus es vitæ scopus, in quem figere cunctos

Et sensus animi debemus, & intima cordis.
O bone, cum soli cupiam tibi viuere posthac,
CHRISTE, pio (tua quæ bonitas est) annue voto,
Et tandem emerito optatam concede quietem,
Inq; tuum post hanc me vitā suscipe regnū. Amen.

Epiphonema.

Nullius esse velit qui suus esse potest.

H. HVSANI. I. C. CANCELLARII MEGAPOLITANI VOTVM.

Anno Christi 1569.

O Animi felix, ô parte beatus ab omni,
O immortali proximus ille Deo,
Quem docuit mundi valedicere moribus huius
In verum pietas obsequiosa Deum;
Et sibi concessæ contentum limite sortis
Exercere suo munia iusta loco.
Quem neq; sollicitat mendaci gloria fuco,
Fluxarúmve fames sacra fatigat opum;
Dira nec in varias trahit altercatio rixas,
Qua schola, qua templum, qua strepit omne forū;
Nec mala degeneri corrumpit inertia luxu,
Vnica corporibus pestis & ingenijs:
Qui nec obæratus curis torquetur acerbis,
Nec iubet esse sua nomina certa fide:

Qui potiùs, dubias rabularum pabula lites
Quàm moueat, mauult cedere iure suo:
Nec locat infami steriles in fœnore nummos,
Et super insontem munera nulla capit:
Pascere qui multos vel equos famulósve necesse
Non habet, aut amplas ædificare domos:
Stare nec infida sublimis gaudet in aula,
Magnorumq; potens ad latus ire ducum;
Sed iusta requie sese saturare, suæq;
Intra fortunæ septa latere potest:
Educat & teneros chara cum coniuge natos,
Vt discant homini commoda, grata Deo:
Et cum transierint exactæ tempora vitæ,
Concludit tacitos ac sine labe dies.
O conclude meos hoc tandem fine labores,
Enecat oppressum me quibus aula, Deus.

Eiusdem postulatum ad Ducem Megapolitanum Ioannem Albertum Principem illustrissimum.

Sic quem lethifero percussit scorpius ictu,
Præbet ei medicam vulneris autor opem:
Vt mihi defesso studijs grauioribus aulæ
Mitibus è studijs hæc medicina venit.
Carmine quod tristes leuiter demulceo curas,
Quæ mihi cor variè nocte dieq; coquunt.
Corpore dum iaceo malè nunc affectus & æger,
In partésq; animum diuido mille meum.

Et mea paulatim ceu fabula præterit ætas,
Ignotumq; mihi me facit aula mori.
Quod sanare malum potes illustrißime princeps,
Si mea vota tuo digna fauore probes.
Des libertatem, dederis sic omnia, tantùm
Deprecor incumbens istud honoris onus.
Cui non esse meos humeros viresq; ferendo,
Meq; genu prono succubuisse vides.
Stet quicunq; volet pro me sublimis in aula,
Me recreet fractum iusta labore quies,
Nec mea supplicibus neq; tot prensantibus ætas
Nota sit & tacito muta tenore fluat.
Tranquilloq; loco positus mea gaudia tractem,
Quos non inspexi per tria lustra, libros.
Illic dediscens alieno viuere nutu,
Quod superest tribuam temporis omne Deo.
Prodero cui potero nulli dabo damna, remotus
A vulgi strepitu militiaq; fori.
Donec, vbi cursum fluxæ confecero vitæ,
Efferat emeritum me libitina senem.
Huius vt optati potiar, tua gratia faxit,
Hæc precor assensu sint rata vota tuo.
Sic Deus illustrem post huius tædia vitæ
Lucis in æternæ det tibi sede locum.

Idem,
Cum iam exhalaturus animam
videretur.

Nunc quod curriculũ dederas mihi Christe peregi,

Paruaq́ sub terras ibit imago mei.
Seruiui patriæ diuersas missus in oras,
Gratia dum cari salua manebat heri;
Obrutus aßidua multorum mole laborum,
Vt variè curas erogat aula suas.
Triste sed heu precium nactus sub fine laborum,
Expertúsq́ tuam mobilis aula fidem.
Qui mea fortè leges vestigia, deditus aulæ,
Huc ades, exemplo disce docente meo:
Fidere, nec magnis ducibus nec regibus ausis;
Ah miser, illorum quisquis adorat opes.
Quippe voluntatis, fortunæ, deniq́ vitæ
Vnica quos certos non videt hora suæ.
Sunt homines, magniq́ Duces, Regésq́ superbi;
Fallit in humanis spes sita præsidijs.
Mobilis Euripo magis est humana voluntas,
Semita fortunæ lubrica, vita fugax.
At sibi perpetuò constat diuina voluntas,
Aeterno stabilis vita vigore manet.
Finibus arctata est immensa potentia nullis,
Ergo sit in solo spes tua fixa Deo.
Nulla salus, ope mortali sperare salutem;
Vna via est vni fidere tuta Deo.

Idem ad Lucam Lossium Ludimoderatorem Luneburgensem. Anno 72.

O mihi si redeant concessu numinis anni;
Qui spacio dudum præteriêre suo,

Non

Non ego conferrem me Regis in vllius aulam,
Si mihi vel Crœsi polliceatur opes;
Sed studiosi aliquis secessus angulus æui
Tempora finiret quantulacunq; mei.
Illic à strepitu vellem vulgóq; remotus
Intra fortunam me cohibere meam.
Inuigilare libris, in pace latêre quieta,
Me curare domi non aliena foris:
Carpere securum nullo censore soporem,
Anxius horarum non numerare sonos:
Mane prehensantum nullas spectare cateruas,
Limen heri dubio non penetrare gradu:
Non, quasi parturiam, semper pro pluribus vnus
Huc illûc animo me cruciante rapi:
Non præbere meas nugis tot inanibus aures,
Non inter duplices cuncta timere viros:
Qui modò veri aliquid modò falsa loquũtur, vt illi,
Quem penes imperium est, cõplacuisse vident.
Qui velut in violis scrutatur aranea virus
Vertit & in succum nardarosasq; suum:
Omnia sic etiam dextra porrecta fideli
Accipiunt læua falsificantq; manu.
Quorum quæq; ferax ætatibus omnibus aula est,
Aula bonis varias tendere docta plagas.

Idem.

O vtinam nunquam cum relligiosa loquelas
Aula reformanda de pietate serit,

Commoda prætexta sua relligione coloret,
Et bona non Christo sed sibi parta velit.
Ah modò ne laudet confingere posse colores,
Se quibus excuset non bene culta fides:
Ah modò ne prauas fucare sophistica causas,
Magnorum libitu sit studiosa Ducum.
Cætera quid memorem? quanti custodia legum,
Quoq; loco est aulis iudiciale forum?
Ius & vis apicum paruo discrimine distant;
Rex ius semper habet, vim quia semper habet.
Ius hominis tenuis quid præter nomen inane est?
Quippe quod effectum iuris habere nequit.
Quid loquar, vt pateant hîc obtrectantibus aures.
Error opinantes in mala quanta trahat?
Prætextus causa mutantur nomina rerum;
Ille timet, tuta qui monet ire via:
Qui laxat temerè frenos affectibus omnes,
Hic domino veram præstat amicitiam.
Qui circumspectum sese gerit atq; modestum,
Audit inops animi, stipes, ineptus, hebes.
Inflammans odium, se comprobat esse fidelem;
Omnia deprauans suspicione, sapit.
Simplicitas probro, sed diffidentia laudi est;
Factaq; deformat falsus honesta color.

ἄδηλον in quendam.

Scilicet audaces fecit ignorantia rerum,
Sed tragicos casus qui sacra turbat habet.

Aut

Aut mens Vulcanum, aut forceps indocta fefellit,
εἰρήνην voluit cudere, fecit ἔριν.

Henrici RantZouij, Eq. Holſ.

EMBLEMA DE AVLA.

MOEnia quæ ſummo ſpectant de vertice mõtis
Sydera, dic quódnã nomen & omen habẽt?
Aulam Roma vocat, ſedes Regumq; Ducumq́; eſt,
Luxu, diuitijs, ambitione potens.
Lubrica mortalis vitæ & ſinuoſa palæſtra,
Excipiens prauos non minus atq; bonos.
Cur iuuenis, Lauri reſidens viridantis in vmbra,
Triſtia defixus lumina ſpectat humum?
Ille operum patiens mœſto ſub corde volutat,
Quam malit vitam, quod ſtudiumq; ſequi.
Ne trahat ignauam laſciua per ocia vitam,
Molliaq; ætatis tempora ducat iners.
Spes Dea cur niuea iuueni ſtat proxima palla,
Commonſtrans digitis regia tecta ſuis?
Allicit incautas Iuuenum Reſpublica mentes,
Et ſplendor, nimias qui comitatur opes.
Sed cur aſtat honor Tyrio velatus amictu,
Cui leuis Ambroſio ſpirat odore coma?
Nominis & famæ cuncti fulgore trahuntur:
Ambitio multis exitiale malum eſt.

Cur Fortuna astat læto blandissima vultu?
  Adiuuat audaces sorsque, Deúsque viros.
Ergo quisquis amas vitam traducere in aula,
  Continget votis aula petita tuis.
Fata hominum cedunt interdum prospera cœptis,
  Irrita nec semper fert pia vota Notus.
Quid de nocte struunt Bacchusque, Ceresque, Venusque?
  Ocia lethifero condita melle fouent.
Hæc capiunt fluxa iuuenum dulcedine mentes,
  Vt se regna Deos inter habere putent.
Interea luxu transactæ corpora noctes
  Attenuant, animis & vigor omnis abit.
Cur abiecta iacet Pallas? cur aliger ille
  Hanc leuat, & Pietas non sinit ante fores?
Nil animum formasse iuuat pietate, bonisque
  Artibus, & mores addidicisse graues:
Si non eloquio polles, versatile si non
  Affers ingenium, multiplicesque dolos.
At iuuenem excipiens, aurata compede vinctus
  Dic cur regales stat LABOR ante fores?
Sit licet immenso circumdatus Aulicus auro,
  Sustinet immensi grande laboris onus:
Successúsque dolens hominum, cur iuncta Labori
  Squallida vipereo felle stat INVIDIA?
Nemo fuit, nec erit, tam præstans fortibus ausis,
  Vt valeat morsus effugere inuidiæ.
Vt comes est, radios per Solis euntibus, vmbra,
  Virtutem liuor sic comitatur iners.

Aulai in medio cur torua Calumnia picta est,
Et, quam præterea, cætera turba, vides?
Quo non sacrilegæ penetrant mendacia linguæ,
Iactaq; sub blandis scommota falsa iocis?
Nam quicunq; sua virtute emergere nescit,
Obtrectare alijs, crescat vt ipse, solet.
Dic cur Perfidia aßistit? quòd tempore nostro
Sub blando est fidei nomine rara fides.
Peßimus is certè est inimicus, quisquis amicus
Creditus, occulta subdolus arte nocet.
Quid fallax media vult Assentatio in Aula,
Mollia caudatæ tegmina vulpis habens?
Quisquis adulari palpumq; obtrudere nescit
Blandius, hunc aulam non adijsse velim.
Nam parasitus edax Regum dominatur in aula,
Principibusq; placet dulcior ora colax.
Semper adulator vescens popularibus auris,
Blandiloquus Domino quæ placuere, probat.
Cur iuuenem rursus Nemesis deturbat ab aula,
En quam non magnis eijciens foribus?
Admonet hæc Nemesis, ne quis nimis alta requirat:
Est aliquid paruā posse habitare casam.
Multos aula viros ad summum euexit honorem:
Aulaq; permultis attulit exitium.
Ferre moram, moderari Iram, cōtemnere risum,
Dura pati; cunctos aulica vita docet.
Cur Morbus pallens regali limine pulsum
Excipit, & tremulo tarda Senecta pede?

Debebant multi, posito bene fine malorum,
Viuere non vllo sollicitante metu;
Quos vbi iam subeunt morbi, tristisq; senectus,
Deijcit extremo tramite causa leuis;
Despectiq; iacent, & dulcia limina sæpe
Eiecti mutant, exilioq; domos.
Nil fulsisse iuuat meritis insignibus olim,
Nil rerum molem sustinuisse grauem.
At cur aßistit tumulum prope, noxia torquens
Spicula, funesta, MORS *violenta, manu?*
Fallit spes & honor, fallit fortuna laborque,
At Lachesis certam seruat vbiq; fidem.
Rebus at immodicis animum subducito semper:
Ante oculos vitæ sit tibi meta tuæ.

Vitæ ... [illegible]

VALE-



VALERIVS MAXIMVS DE GYGE.

CVM Gyges regno Lydiæ, armis & diuitijs abundantissimo, inflatus animo Apollinem Pythium sciscitatum venisset, an aliquis mortaliũ se esset felicior: Deus ex abdito sacrarij specu, voce missa, Aglaũ Psophidium ei prætulit. Is erat Arcadum pauperrimus, sed ætate iam senior: terminos agelli sui nunquam excesserat, paruuli ruris fructibus, ac voluptatibus contentus, Verum profectò beatæ vitæ finem Apollo, non adumbratum, oraculi sagacitate complexus est. Quocirca insolenter fulgore fortunæ suæ glorianti respondit, magis se probare securitate ridens tugurium, quam tristem curis, & solicitudinibus aulam; paucasque glebas pauoris expertes; quam pinguissima Lydiæ arua metu referta: & vnum aut alterum iugum boum facilis tutelæ, quam exercitus, & arma & equitatum, voracibus impensis onerosum: & vsus necessarij horreolum nulli nimis appetendum, quàm thesauros omnium insidijs, & cupiditatibus expositos.

PLATO *in fine* πολιτειῶν.

Commemorauit Vlyſſis animæ forte fortuna poſtremæ omnium obueniſſe, vt eligeret vitam ſibi. Hanc, in memoria veterum malorum, morbo ambitionis liberatam, quæſiuiſſe, longo tempore obeuntem propoſitas vitas, aliquam hominis priuati, & minime negotioſi: Ac vix inueniſſe tandem abiectam & præteritam ab alijs; dixiſſe autem cum inſpexiſſet; eandem ſe electuram fuiſſe, ſi maxime ſors, vt prima omnium eligeret, obtigiſſet; atque tuliſſe illam cupidè & libenter.

CHRISTOPH. CORNERVS:

In Ecphraſi Epiſt. Cic. ad Q. Fr.

In magiſtratu plus oneris, quàm honoris, vt quidam ſuaui paranomaſia dixit, ineſt. Nam qui publica petunt officia, ſciunt ſe ingredi vitæ genus, in quo ſit plus laborum & curarum, quã otij & quietis. Hinc rectiſſimè dicit Demoſtenes: βίον τῶν πολιτευστμένων εἶναι φιλαίτιον καὶ σφαλερὸν, καὶ καθεκάστην ἡμέραν ἀγώνων καὶ κακῶν μεστὸν.

Idem.

Quo imperium res eſt maior & præſtantior

tior (est autem Platoni παντὸς ἔργου μέγιστον) hoc altiori quoque spiritu accipi debet. Da mihi vnum quæso, qui tot contentiones, tot labores & molestias, tot incommoda & difficultates perferre & deuorare queat, qui non singulari ac propè diuino animo sit præditus? Nam qui magnitudine rei vincitur animus, totum is se demittit & abijcit, nec quicquam rectè & considerate potest agere: cui vero se parem putat, licet cum labore & difficultate cõiuncta sit, libenter tamen & cum voluptate in se recipit. Nec dubium est, quin DEVS politicæ ordinationis author, singulares & acres motus in tantis viris excitet: quibus si destituti essent, oporteret quidem sub tanta rerum publicarũ mole eos aut succumbere, aut perire. Grauissimæ enim res, quæ publicam salutem continent, à magistratu gerendæ sunt. Nunc ciuium lites componendæ, nunc improborum conatibus resistendum est, nunc populi motus sedandi, nunc est eundũ in bellum, & pro lege & grege pugnandum, nunc deniq; periculo vitæ publica salus redimenda est. Sed vt abiectus atq; humilis animus tam ardua nec aggredi, nec perferre potest; ita sublimis & altus leuia contemnit,

& ne-

& negligit, & non nisi in grandium atque magnarum rerum perfectione gestit gloriari, & excellere. Vt qui nimis graui onere premitur, si admodum robustus nõ est, aut illud abijcit, aut deponit, aut certe inclinat se, atque subsidet: ita mens humilis & timida, periculosis atque grauibus negotijs apta esse non potest. Nam quod forti animo satis arduum est, id, me hercules iuuet, à delicato & molli cum laude nunquam sustinebitur. Vulgus putat eos, qui formæ & corporis præstantia reliquis anteeunt, imperio dignos esse: quãto magis imperijs sunt præficiendi, quos animi magnitudo & virtus commendat? Qua etiam de causa Homerus Græcis ducibus ingens & corpus & animũ videtur tribuisse. Nam vt cęteros omittam, Priamus Aiacem describens, scire cupit, qui sit;

τίς τ' ἄρ ὅδ' ἄλλος ἀχαιὸς ἀνὴρ ἠΰς τε μέγας τε
ἔξοχος ἀργείων κεφαλὴν, ἠδ' εὐρέας ὤμους;

Cui respondet Helena:

οὗτος δ' αἴας ἐστὶ πελώριος, ἕρκος ἀχαιῶν.

Negat quoq; Seneca, Claudium fieri posse Deum, quòd corpore sit à diuina maiestate alieno. Indicari enim solet, nec falso quidem, in tam præclaro & formoso domicilio,

micilio, diuinũ & sublimem habitare animum. Et rectissime poëta:

Gratior est pulcro veniens è corpore virtus.

Nec ignoramus, à Cicerone nostro in Officijs scribi, maximas res geri, & maximi animi, ab ijs qui rempublicã regunt, quòd eorum administratio latissimè pateat, & ad plurimos pertineat.

Vt autem in singulis politijs semper insignes quidam heroes floruerunt; ita non pauci dotibus ingenij & eruditione clari, cum intelligerent se tantis negotiorum turbis pares esse non posse, relicta Republica, literis & quietioribus studijs se abdiderunt, totosque à Repub. semouerunt. Isocrates enim, dicendi magister nobilis, cum natura esset timidus, & animo imbecilli, maluit domi cum laude Græcas artes profiteri, quàm in imperio cum dedecore suo, & subditorum incõmodis versari. Adeò verum est illud vel Solonis, vel Biantis, ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δείκνυσι.

M. TVL-

M.TVLLIVS CICERO, LIBRO I. OFFIC.

Περὶ τοῦ λάθε βιώσας:

De his, qui se à Repub. remouerunt.

MVLTI & sunt & fuerunt, qui eam, quã dico trãquillitatem expetentes, à negocijs publicis se remouerunt, ad ociumque profugerũt. In his & nobilissimi Philosophi longeq; principes, & quidam homines seueri & graues, nec populi nec Principum mores ferre potuerunt. Vixeruntque nonnulli in agris, delectati re sua familiari. His idem propositum fuit, quod & Regibus, vt ne qua egerent, ne cui parêrent, libertate vterentur, cuius proprium est sic viuere, vt velis.

CONRAD. HERESBACHIVS In lib. I. de Re Rust.

VVLGVS strepitũ aulicum admiratur, purpuratos & catenatos illos, qui rerum & consiliorũ apud Principes potiuntur, felicissimos iudicans interim non intelligens, quantũ tristicię lateat sub splendida illa miseria. Vulgus molliciẽ pudendam

dam honesto exercicio præponit; noctes ganeis, libidinibus, ebrietatibus; dies ludo somnoque consumere gaudet; fortunatum ducens, qui nec orientem nec occidentem solem videat.

Baro à VV.

Ire, redire, sequi, Regum sublimia castra,
Eximius status est, sed non sic itur ad astra.

Baro à St.

Rastra & aratra coli, & campi redolentia prata,
Exiguus status est, sed sic magis itur ad astra.



IMPRESSVM FRANCOFORTI AD MOENVM, APVD IOHANNEM Feyerabendt, Impensis Sigismundi Feyerabendt.
1578.

DE VITAE RVSTICAE

priuatæq; laudibus, & contra de

AVLICÆ VITÆ
molestijs,

LIBER ELEGANTISSIMVS,

D. ANTONII DE GVEVARA,
Episcopi olim Monde ventani, & Imp.
Caroli V. Historici.

PRIMVM QVIDEM LINGVA
Castellana ad Regem olim Portugalliæ
scriptus Hispanicè; atque deinceps per
Antonium Alegrium, in gratiam Reue-
rendissimi Domini Guilhelmi à Prato,
Ep. Claromontani, in linguam Gallicam
translatus; nunc demum verò ex Gallico
in Latinum quoque sermonem con-
uersus ab Hermano Germ-
bergio VVestphalo.

Cum præfatione
Henrici Petrei Herdesiani.

HENRICI PETREI HERDESIANI AD CANdidum Lectorem Præfatio.



Vlicæ vitæ, candide Lector, & priuatæ enchiridion, in Francia primum Orientali (vbi in Aulas sæpè vicinas prodeundi, atque ad ocium rusticum potestas esset redeundi) describendo collegi. Cæterùm cùm Basileæ me deinceps ætatem in tranquillitate degente, paßim requiri idem cognoscerem, non grauatè sub incudem reuocaui, atque in ordinem accuratiorem redegi. Postquàm igitur Sigismundo Feierabenio, Bibliopolæ Francofortensi clarißimo, proximis Anni 77. nundinis vernis, librum excudendum dedissem, atq; ijsdem nundinis exemplaria non tantùm diuenderentur omnia, sed plura quoq; tum statim requirerentur, semel atq; iterum ille me, vti volumen recognoscerem, atq; editionem, quàm denuò locupletiorē adornari cuperet, opera mea adiuuarem, interpellauit. Itaq; licet grauioribus distētus occupationibus gratificari statim ipsi non possem, mihiq; in tanta præsertim censorum quorundam seculo nostro importunitate, satis operæ in istud iā argumentū insumpsisse viderer, tamen cùm quicquid mihi ab officio & munere meo vacat, in literarum studia iam pridem impendere, atq; doctorū

virorum inuenta & lucubrationes ab interitu vindicare sit animus, diutius illius voluntati repugnare nolui. Quãobrem cum D. Iohanne Fichardo I.C. Iusticiæq́ Francofurti & eruditæ doctrinæ Antistite, familiariter re cõmunicata, Enchiridion illud nõ solùm recognoui, sed nouis etiam quibusdã eruditißimorum virorum opusculis locupletaui. Nam cùm ex Philippo Cominæo, Aulico experientißimo prudentißimoq́, & bonis autoribus alijs, multa ad rem pertinentia huc retuli, tùm grauissima illa & nobilis Antonij Fuchsij, & Lazari Bonamici carmina, antehac non edita, adiunxi.

Intereà verò dum hoc ago, fortè in illum à multis diu desideratum libellum Antonij de Gueuara, in quo vitæ vtriusq́ percenset tum molestias tum commoditates, incidit ille quem modo nominaui, Iuris hîc & eruditæ doctrinæ præses, atq́ per Hermannum Germbergium, virum doctißimum, ex Gallico sermone in Latinũ transferendum curauit. Licet autem nos temporis angustiæ, propter instantes nundinas vrgerent, & subindè nos amici literati peregrè aduenientes interpellarent, vt translationem illius limatiore stylo perpolire non potuerimus, tamen dedimus operam, vt non omninò inornata in publicum prodiret. Etenim quãuis ego is non sim, qui elegantiam linguæ Gallicæ, hãc interpretationem penitùs assecutam affirmẽ, cùm nec Antonius Alegrius, qui (vt in titulo indicauimus) eundem ex Hispanico (quo primùm à Dn.

Gueuara

Gueuara conſcriptus fuit) in Gallicum tranſtulit ſermonem, linguæ ſe Hiſpanicæ phraſes planè aſſequi potuiſſe gloriari fuerit auſus: ſingularũ enim linguarum ſingulæ proprietates ſunt: hoc tamen teſtificari poſſum, illũ, ſi nõ elegantiſsime, optima certè fide minimeq́ oſcitanter opuſculum eruditiſsimũ interpretatum, ſententiamq́ autoris, & verborum Gallicorum vim, oratione perſpicua planè exprimere, ac fideliter cõuertere conatum eſſe. Nam vbi inchoatas ille interpretationis ſuæ chartas cũ prænominato D. Fichardo, mediocri linguarum peregrinarũ cognitione prædito, tum D. Henrico Kellnero I.C. & ipſi genere & virtute in Patricio ciuitatis Francofurtenſi ordine clariſsimo, Gallicæq́ linguæ peritiſsimo, exhibuiſſet, vtrunq́ horũ & initium tranſlationis probare, & vti pergeret hortari memini. Deindè verò & alios viros eruditos, eosq́ Gallos, cẽſores adhibuit, ac feliciter tandẽ elegantiſsimũ libellũ interpretãdo abſoluit.

Cæterum primæ editionis proteſtationem hîc repeto, atq́ in nullius contumeliam, ſed potius bonis omnibus, Tyronibus præcipuè Aulicis, gratificandi ſtudio, hæc me opuſcula collegiſſe, inq́ lucem edidiſſe proteſtor. Quomodo enim Aeneas, quod, vbi ex ancipiti iſta nauigatione in portum veniens Didoni Carthagine narrat immanes vndas, ſublatosq́ in cœlum fluctus, & implacatam Charybdim, &

Ora exertantem, & naues in ſaxa trahentem
Scyllam, & cæruleis canibus reſonantia ſaxa;

& tetras illas terræ marisq́ pestes Harpyias, Cyclopas, aliaq́ monstra: hæc igitur naufragus ille q narrat, quomodo contumeliosus ideò in Nautas videri poßit? Aut quæ Sosia Terentianus ille ait,

Non hercle Parmeno verbis dici potest
Tantum, quā re ipsa nauigare incommodum est;
O fortunate nescis quid mali
Præterieris, qui nunquam es ingressus mare;

Hæc igitur quomodo non grata potius acceptaq́ Nautæ habeant, quàm maledicè in se dicta existiment? Cùm plerunq́

Nauita de ventis, de Tauris narret arator,
Ennumeret miles vulnera.

Sed hæc, quod bonis eruditisq́ operā nostram non improbari compertum habeam, verbosius hîc non persequar: Malis verò & ineruditis displicere quā probari malo. Neq́ hîc, dū Aulæ molestias recensemus, politicum ordinem contemnimus, intelligentes nimirum, & Grammatico in sua quasi politia, non tantùm vocalib. litteris, sed consonantibus etiam, nec solum tenuibus, sed grauibus & aspiratis opus esse: concentumq́ musicum acutis pariter grauibusq́ confici: atq́ igitur ex diuersis hominum ordinibus vitæ humanæ rationem temperari & constitui. Tu igitur, candide Lector, quæ ex animo bono profecta sunt, boni consule, & vale feliciter. Ex Gymnasio Franciscano ad Mœnum Francoforti 12. Martij, Anno M. D. LXXVIII.

PARS

PARS ALTERA DE VITA PRIVATA.

Aulicum non niſi de ſemetipſo queri poſſe.

Cap. I.


Oſteà quàm Philippus ille Macedonum princeps illuſtriſſimus deuiciſſet Athenienſes, accidit quodam veſpere dum cœnaret, vt quæſtio inter ipſum & præſentes Philoſophos, qui ipſi aderant, moueretur, qua nimirum, quænam res in mundo omnium maxima videretur eſſe, inquirebatur. Vnus igitur horum Philoſophorum dicebat, quòd aqua in mundo omnium maximum ſibi videretur eſſe, ea de cauſa, quod vnius aquæ plus quàm reliquarum rerum omnium coniunctarum deprehenderetur: Alius autem id Solem eſſe confirmabat, quòd is ſua luce cœlum, aërem, terram & aquam prætereà ſufficienter illuſtraret: Alius de monte idem Olympo aſſeuerabat, quod iſtius montis altitudo ſuprà nubes ipſas emineret: Alius de celeberrimo Gigante Athlante præ-

Aqua. Sol. Olymp: Athlas.

dicari posse putabat, super cuius sepulchro terribilis ille mons Æthna fundatus esset. Alius de maximo poëta Homero dici posse existimabat, quod is, dum viueret, adeò celebris extiterit, & post mortem tantoperè desideratus fuerit, vt septem magnę ciuitates inter se longo tempore bellum gerentes, aliæ alijs ossa eius pro sacris reliquijs colenda extorquere contenderint. Postremus autem & omnium istorum Philosophorum sapientissimus aiebat. *Nihil aliud in humanis rebus est magnum, nisi animus magna despiciens*: Quo significare voluit, præter animum magna contemnentem, nihil in vniuerso mundo magnum dici posse. O sententiam longè multoque præclarissimam. Hac nimirum sapientissimus ille nos docere voluit, quòd, quando de diuitijs & mundanis honoribus dubitatur, is, qui ea omnia magno animo contemnere potest, laudabilior illo sit, qui sibi comparare non veretur.

Titius Liuius, quanquam laudare voluit bonum illum consulem Marcum Curium, minimè tamen id satis assecutus esse videtur. Ad illius enim ædes, posteaquã Samnitum legati venissent, vt certã quandam terram, quam ipsis eripuerat, ab eo recu-

recuperarent, eumq; in finem plurimum & auri & argēti offerrent, is fortè fortuna quasdam herbas, mox deindè coquendas, emundans, illis, vos, inquit, hoc argentum præfectis & ductoribus, qui, si ipsi suum cibum coquant, de existimatione dignitateque sua detractum iri putant, non mihi offerre debuissetis Ego enim in id non incumbo, vt magnas acquiram diuitias, sed vt in eos, qui diuitiarum domini dicuntur, ipse dominium obtineam. Quid? Marcus hic Curius, an non merebatur plus laudis in eo, quòd Samnitum pecuniam cōtempsit atq; despexit, quam Consul Lucullus, qui Spartanos expilauit? Sapiens ille Crates, an non merebatur plus gloriæ, quòd diuitias in mare deijceret, quàm Rex Nabuchodonosorus, qui furatus templi thesauros, eos inde se cum asportauit? Insulis item Balearicis, nónne plus honoris tribuendum putas, quòd aurum & argentum planè repudiarent, quàm Græcis istis auaris, qui fodinas Hispanorum vi diripiebant? Augustus Imperator ille bonus, an non excelsiore fuit animo pręditus, quòd imperium contemneret, quàm Iulius Cæsar illius auunculus, qui illud occupabat?

Si quis graue quoddam negocium tractare velit, opus est prudētia & experientia ad instituendum, industria ad persequendum, fortuna denique ad absoluendum. Sed vt, quando fuerit absolutū, conseruetur, ingenti conatu, vt verò contemnatur, animo magno peropus est: ideò, quòd quis faciliùs contemnit ea quæ videt oculis, quàm quæ iam planè in manibus habet. Notum est, multos præclaros viros extitisse, qui tam prospera fuerint vsi fortuna, vt res humano captu maiores non duntaxat aggressi verumetiam cōsecuti sint: qui tamen animi defectu se posteà, tametsi vellent, illis exonerare non potuerint. Vnde sanè perspicitur, quod animi magnitudo nō tam in eo spectetur, vt quis id, quod expetit, consequatur, quàm vt, quod magis amat, dedignari possit atq; contemnere.

Apollonius ille Titaneus an non contemnebat propriā suam patriam, Asiamq; peragrabat, vt in Indiam Hiarchæ Philosophi videndi causa proficisceretur? Aristoteles Alexandri familiaritatē despiciebat, vt ad Academiā suā, Philosophiæ docendæ gratia reuerteretur. Nicodius thesaurum, quem ipsi magnus ille rex Cyrus imper-

impertiebatur, vt eum in militiã comitaretur, nihil faciebat. Philoſophus Anatillus Athenienſium principatum ter oblatum repudiabat, aſſerens malle ſe bonorum ſeruum, quàm malorum caſtigatorem eſſe. Cæcilius Metellus, ſtrenuus ille Romanorum dux, neque dictaturam neque conſulatum, quæ illi offerebantur, vnquam volebat acceptare: quòd in pace mãducare ſe velle diceret id, quod in bello magna cum difficultate lucratus eſſet. Imperator Diocletianus, velut inter omnes conſtat, libera ſua voluntate motus, imperium deponebat: & id quidem non aliam ob cauſam, niſi vt à reipublicæ tumultu retractus, domi ſuæ requie perfrueretur.

Maxima quidém laude dignus eſt ille, qui tanta præditus eſt magnanimitate, vt imperij ꝙ habet, regníue ſplendorẽ poſſit contẽnere: ſed is, qui ſemetipſum contemnit nec animo ſuo morẽ ſemper gerit, is verò laude maiori dignus eſt, ideò quod mortalium nemo ſit, qui, quod adhuc adipiſci cupit, non maiore amore proſequatur, quàm quod iam nunc conſecutus eſt. Ac, cũ minima quis cupiditate aut ambitione laborat, tùm ſi decẽ dies, pro

eo

eo quod habet, impendat, centum deindè consumet, vt id quod non habet, habere verò desiderat, aliquando tandem consequatur: cùm molestia suscepta non rei cui debet, sed ei solum, quæ desideratur, soleat impendi. Quod peregrinamur, quòd nosmet ipsos excruciamus, quòd somnũ sæpè interrumpimus, id nulla fit necessitate, nisi vt cupiditatibus satisfaciamus. Quid, quòd eo quod possumus sæpenumerò non contenti, posse quoq; nitimur id, quod expetimus?

O quàm multos in aulis principum vidimus, quibus profectò quam plurimum conduxisset, voluntatis suæ desiderijque, & huius quidem vel in primis, compotes non extitisse. Eiusdem namq; participes effecti, id facientes, quod poterant, quòd que cupiebant, id, quod nõ debebant, facere non dubitabant. Quòd si necesse videtur esse, vt ab eo quem nos offendimus, offensæ condonationem petamus, certè non alienum fuerit, si vnusquisq; priùs à semetipso, quàm ab alio eam impetrare contendat: ea de causa, quòd mortalium nemo tantis, quandiu vixi, me malis affecerit, quantorum mihimet ipse autor fui. Quis me, quæso, præter meam solius præ-

sumptio

ſumptionem & inſaniam ſuperbire facit? Quis meũ cor triſte inuidiæ vinculis conſtringere auſit, ſi naturæ defectus illud nõ facit? Quis in meis viſceribus ignem iracundiæ velut inflãmet pręter meam ipſius impotentiam longè maximã? Quęnam ſit cauſa, quòd in manducãdo tam vehementer enormis ſum, ſi non ſit illa, quòd ego me delicatè nutriui, gulamq́; ſectatus vſq; fui? Quidnam cauſæ, quòd ego pauperibus in neceſſitate conſtitutis, de meis facultatibus nihil impertiui, ſi non eſt immoderatus ille amor, quo proſequor argentum meum? Quid carni meæ contra ſancta mea deſideria extollendi ſeſe licentiam concedit, niſi cor meum placito deditum voluptuoſo? Omnia generis iſtius damna manifeſtáq; delicta cuínam imputas, ô anime mi, niſi proprio meo ſenſui carnali? Vt magna prorſus eſt inſania, furem, qui intra domũ deliteſcit, extra eandem inueſtigare: ſic in nobis etiam manifeſtũ eſt deficientis experientiæ ſignum, quando nos in culpa eſſe videtes, iſtam tamen in alios deriuare non erubeſcimus. Itaque pro certo tenere debemus, nos, de nobis conqueri, non antè ceſſaturos eſſe quam nos ipſos emendare inceperimus.

Quo-

Quoties enim, quoties inquam, virtus, quę nos, vt boni efficiamur, inuitat: & carnalis ſenſus, qui nos, vt vani peruerſiq; ſimus, incitat, in medio cordis noſtri conſligunt? Vnde iudicium ſequitur obſcurum, ingenium perturbatum, cor alteratum & immutatum, poſtremo quoq; noſmetipſi, tædio fatigati, cruciamur.

Phillis amatrix illa Rhodopeïa & Thracenſis, ſic vt Ouidius ille poëta cõmemorat, aiebat:

Remigiumq; dedi, quo, me fugiturus, abires:
Heu patior telis vulnera facta meis.

Quaſi vellet affirmare: O Demophoon, ſi tempus ad amandum te, mihi nõ ſumpſiſſem, argentum deindè, naueſq; ad expediendam profectionẽ tuam nõ ſuppeditâſſem, tu quidẽ nõ temerè auſus fuiſſes abire, neque ego de tuo diſceſſu, me contriſtandi & plangendi, quod nimirum proprijs meis armis inteſtina mea percuſſa fuerint, occaſionẽ nacta fuiſſem. Si verum credimus id eſſe, quod Ioſephus, de Mariana, Homerus, de Helena: Plutarchus, de Cleopatra: Virgilius, de regina Didone: Theophraſtus, de Polycene: Xantippus, de Camilla: Aſſenarius, de Clodia, dictum ſcriptumq; reliquerunt: oẽs iſtę ma-

tronæ

tronę, fœminęq́; principes, nunquam sese tam malè per suos amatores deceptas intelligebant, quã cum proprio suo cõsilio temerè illis credidissent, atq; consensissent.

Si Suetonio, Xantippo, Plutarcho denique, in eo, quod illi de Pompeio, Pyrrho, Hannibale, consule Mario, Cæsare dictatore, Marco Antonio, alijsq́; cõpluribus, cõmemorant, fidẽ adhibere voluerimus, illos sanè nõ tam fortunã, quod ea permittente alijs ab superati fuissent, quàm semetipsos, quod rebus ad suã voluntatẽ fluentibus, proprio cõsilio, nec nõ ingenio sese rexissent, criminatos esse, reperiemus. Illud quidẽ verum est, si de iudicando aut consulendo agitur, opinionẽ ac consilium consanguineorũ & amicorum nostrorũ nos aliquoties extra cardines, rationis sic eijcere, vt nihil aliud moliamur, quã stultum bonorum diuitiarumq́; consequendarum profectum. Tandem verò, quando nostrum quispiam illorũ admonitionibus persuasus, rem quandam singularis alicuius momenti gerendam suscepit, ad quã conficiendam illorũ requiratur auxilium, tunc illi sese omnium postremos in auxilio ferendo demonstrant. Vnde fit, vt, si quis quod incepit, hoc infectum relinquere

velit,

velit, ſine dedecore damnoque ſuo facere non poſſit. Plurimi dicunt, quòd inimicos habeant, eoſdemque dinumerantes, ſeſe inter eos non referunt; cum tamen, ſi ratio rectè ſubducatur, interim verum ſit, quòd plerunq; nemo maiorem & infeſtiorem habeat inimicum atque ſemet ipſum. Etenim omnium longè maximũ, quod ego quidem video, periculum eſt inde, quòd ſub progreſſus alicuius faciendi, & meimetipſius corrigendi prætextu, ipſe mihimet ipſi perditionis cauſa ſim.

Neotidas Philoſophus aliquando rogatus, conſilium quod quis capere poſſet, omnium præſtantiſſimum, qualénam eſſet? illud id eſſe reſpondit, quod quis, ſuo proprio contempto, caperet ab alio. Iſtius rei hanc afferebat rationem, quòd humanæ naturæ deprauatio tanta ſit, vt vnuſquiſque ſemetipſum quærat inprimis, cùm tamen ſeſe reperire non poſſit: quòd auxilio boni, in alieno deliteſcentis, deſtituatur. Inde cõſequitur vt potiori vitæ noſtræ tempore, ipſa vita nos decipiat, mala vndelibet exorta nos adoriantur; cogitationes redarguant; amici deſerant; perſecutionibus expoſiti vexemur;

& meris molestijs vita nostra consummata, ambitiones tandem nos sepeliant.

Si nos cogitaremus quid simus, vnde simus, qua denique de causa simus inueniremus vtique, quòd principium nostri, sit obliuio: medium, labor: finis autẽ dolor: illaq; omnia coniuncta, non nisi manifestus error.

En tibi, quam tristis sit, cùm aliorum omniũ, tùm verò vel inprimis ipsiusmet aulici vita. Certè, non minus illa periculosa putari debet, quàm via quædam lapidibus ad cespitandum referta: quàm volutabrum, ad polluendum: quàm glacies ad cadendum: quàm semitæ ad aberrandum: quam portus ad transeundũ: quam fures, qui metum incutiunt. En, inquam vita, quæ tot ad expediendum habet negocia, vt difficulter admodum quò vult aliquis, eò visu saltem pertingat, tantùm abest, vt quò cupit abire, eò perueniat. Hæc omnia sunt à nobis eum in finem dicta, vt aulici perspicerent, quòd nec ego, nec ipsi, quod bonũ sit, eligere: quod malum sit, negligere: quod cum damno coniunctum sit, euitare: quod conducat, conseruare: obsequi rationi, occasionémve aucupari sciamus: sed, si quid boni nobis

ex insperato eueniat, id fortunæ acceptũ referamus, si quid mali, omnem mox culpam in infortunium reijcere soleamus.

Neminem cuiquam, vt in aulam ingrediatur, neque quenquam cuiquam, vt ex aula, si iam nunc in illa versetur, egrediatur, sed vt id quilibet vitæ genus, quòd præ cæteris amat, eligere studeat: consulere debere.

Cap. II.

ARistarchus celebris ille Thebanorum philosophus, *Quid optes aut quid fugias, nescis, ita ludit tempus*, aiebat. Quo significare voluit, & tempus & hominũ res adeo mutabiles esse, vt vel sapientissimi quique, quod sibi bonũ sit, eligere: quod contrà malum sit, effugere nesciãt. Hoc enim certo verius nihil esse potest: cum videamus quotidie, quod, dum hic cõualescit, ille in morbum incidit: dum hic fortunatior est, ille miserior euadit: dum hic per fauorem recipitur, ille excluditur: postremo dum hic viuit plane cõtentus, ille eousq; miseriarum redigitur, vt de ipso conclamatum videatur.

Cum doctus ille vir Alchimus à Mecænate suo rege Demetrio, in quanã re, omnium maximus in hoc mundo labor præcipuè

cipuè consisteret, interrogaretur: nihil admodum esse, quod angori suspicioniq; in mundo non sit obnoxium: in primis verò molestiam in mundo omnium maximam, immoderatissimumq; laborem, cui exantlando mortales subiecti sunt, esse, contentum esse rebus præsentibus non esse posse, respondit. Ac id esse verum patet indè, quòd, si vlla aliqua re possemus esse contenti, eam, licet omnium minima videretur, paradisum quasi nostrum putaremus esse: ex eaque voluptatem omnem, vitæque nostræ requietem metiremur: id quod faciunt mortalium multò paucissimi. Viuentes enim, sic vt viuimus, nullo contenti: experiri quidem optaremus & scire, bonúmne sit regem aut principem, equitem, maritum, religiosum, mercatorem, agricolã, pastorem, esse: nostroq; vitæ genere neglecto, aliud quodcũq; periclitari vellemus: cum omnib. interim benè ponderatis, vix aliquid inueniamus, ꝙ constãter amplectamur. Tam scilicet inconstans est hominũ leuitas. Sapiens tamen in huiusmodi rerũ delectu, diligẽtia tanta, quãta fieri potest, mediocritatem spectare debebit. Stultus aliquis animiq; vir abiecti, facilè cõtentus

est re vel qualicunq; : Magnanimus verò cogitat, ꝙ si vitæ genus humile comitem habeat molestã paupertatẽ, excelsum certè fortuna quadã periculosa non careat.

Plato, cùm adhuc adolesceret, insigniter & humanus & mundanus erat. Nec id mirum: quòd plurima tùm foris in bellis, tùm verò domi in Reipub. negocijs obeundis, tùm deniq; mechanicis artibus exercendis, expertus esset. Is die quodam rogatus, vbinam omnium maximam frugalitatem & vitæ tranquillitatem deprehendisset? nullus est, inquit, in mũdo status, qui mutatione careat: nullus est honor, qui periculum adiunctum non habeat: nullæ sunt diuitiæ, quæ, vt labores molestiæque maiores non suscipiantur, efficiant: nulla est prosperitas, quæ non finiatur tandẽ: nullæ deliciæ sunt, quæ nõ deficiant. Vt verbo dicam, ego nunquam tàm benè contentus fui, quàm ab eo tempore, quo negocijs ciuilibus relictis, ad libros meos, veluti bonos vitæ meæ socios, reuerti. Quo significare voluit, quòd nos, quamdiu mundo simus addicti, desideremus omnia, probemus omnia, procuremus omnia: sed omnib. benè visis & quasi degustatis, nos omnes omnium causa coqua-

coquamus & maceremus. Maxima verò insatiabilis desiderij nostri pars oritur inde, quòd nostrum multum, parum; sed alienum parum, nobis in contrariam partem videatur esse multum. Nos enim nostram felicitatem, molestiam; alterius infortunium, requietem nominamus. Nos rationem, quam alij in suis rebus gerendis obseruant, approbamus; sed nostram condemnamus. Nos vigilamus aliquantulum, vt rem quampiã inueniamus, sed mox obdormimus, vt eandẽ rursus amittamus. Nos nobis imaginamur, quòd omnes alij vitam degant vsquequaq; pacatam: nos verò solos fortunæ telis expositos esse: & quod adhuc peius est, nos quod saltem somniamus, id verũ mox esse credimus: id verò quod vigilãtes apertis oculis spectamus, fide dignum non arbitramur. Quam quis in vita viã sequi, quódve vitæ genus potius eligere debeat, nemo pro certo scire, ne dicam alij demonstrare potest; ideò, quòd in huiusmodi delectu varietas adeò fastidiosa quædam, atque multiplex occurrat, vt is, qui delicato iudicio præditus non est, in tali consilio alij communicando sæpissimè fuerit hallucinatus atque deceptus.

In mari nauigare velut eſt periculoſum: ſic & ſuper terra proficiſci, tędioſum. Ad ipſam vitam ſi quis oculos conuertat, is vno & eodem momento ſano corpore præditos, in morbos incidere: & ex his alios vita priuari: alios lethali angore liberari: alios denique diu languere & conflictari, comperiet. Si de profectione quæſtio ſit, deprehendetur, quòd is, qui lento gradu incedit, ad hoſpitium tam citò perueniat, quàm is, qui, dum nimium feſtinando ſeſe promouet, à via deflectit! Si de fauore dubitetur, nos eum qui vitam ſuam in ocio ſummo traducit, fauorè commiſerationeq́; plus adiuuari comperiemus, quàm eum, qui laboris continuati gratia, ſudore plenus victum quæritat. Hinc itaque concludere licet, nihil in vniuerſo mũdo tam certum eſſe, quàm omnia incerta eſſe.

Nos igitur id, quod hactenus expoſitum fuit, ad propoſitum noſtrum accommodantes, aſſerimus: quòd alicui conſulere, vt matrimonium contrahat, vel literarum ſtudio ſeſe dedat, vel in militiam abeat, vel ad aliud qualecunque vitæ genus animum adiungat: res plane temeraria ſit: præſertim cùm nemo ſequi debeat

beat id, quod alterius consilio sequi iussus est: sed id tantummodò, ad quod à natura propensum se videt esse maximè.

Plutarchus, in suis de Republica libris, bonum illum Philosophum Platonem valdè laudat, & id quidem non sine graui causa. In Academia namque sua rectè beneq; constituenda (sicuti iam consequetur) magna vir vtebatur prudentia: ideò, quòd in illam nulli adolescentiori, quin prius exploratus & examinatus, animum à literis non alienum habere deprehenderetur, ingredi liceret. Hinc, quos ad literas excolendas minus idoneos esse perspiciebat, eos, vt in republica negociatores essent, rursus à sese remittebat.

Alcibiades ille Græcus, eius rei, quam disputamus, testis locupletissimus esse potest: qui, cùm valdè iuuenis ad doctissimi cuiusdam magistri ludum literarium fuisset adductus, naturæ tamen aliquo raptu, armis fuit adeò deditus, vt præter ea nihil omninò studeret. Eum, qui natus est ad id, vt gladium lateri gerat accommodatum, stola de collo dependens malè decet. Ei, qui pascendis ouibus delectatur, in aula esse non licet. Ei, quæ nubere cupit, velum portare, onus

est grauissimũ. Cur, quæso, eum velit aliquis, qui barbitonsor esse cupit, artẽ pingendi profiteri? Si quis amico suo sit auctor, vt certum quoddam vitæ genus eligat, artificiumq́; discat, bene facit ille quidem: sed alicui dicere, qualénam sine vlla exceptione debeat eligere; nullis id modis approbandum puto.

Lycurgus, Lacedæmoniorum legislator, patribus (magnas illis, qui contrariũ facerent, pœnas comminatus) præcipiebat; vt ne liberos suos vlli in vlla disciplina formandos antè committerent, quàm annos quatuordecim plenos exegissent: vt ex ætate nimirum de indole iudicium fieri, &, quò ipsi sua sponte magis inclinarent, explorari posset. At verò huius generis anfractus missos facientes, id quod potissimùm Lectori consulendum videatur, exponamus age.

Consulere cuiquam, vt aula relicta se conferat in villam: vel, vt villa relicta, aulicam contrà vitam complectatur, per cõscientiam meam mihi non licere video. Quod vt est ita: sic alterius sapientia, tanti cuiquam nõ erit, vt eam in constituendo vitæ genere secutus, id quod minus vtile sit, eligat. Vbi simul & hoc expendendum,

dum, quod magna ſit, inter id, quod aliquis amico ſuo conſulat, & id, quod ille facere, debeat, differētia. Sed, vt ego, quid hac de re mihi videatur, in medium proferam: ſapientem, diſputationibus omnibus omiſſis, tale vitæ genus, & tali quidem in loco, eligere oportere cenſeo, vbi ſe honeſtè ſuſtentare: vitam ſine exprobrationibus agere: ſecurè deniq; ex eadem commigrare poſſit. Sæpenumerò fieri ſolet, vt aliquis ex vna prouincia, in aliam: ex vna ciuitate, in aliam: ex vna platea, in aliam; ex vna domo item in aliam ſeſe conferat: vnique ſocietati valedicto cum altera quadam communionem contrahat: qui tandem aliquando nihil aliud ſibi ſuperare perſpiciat, niſi quòd, vbi cum magna moleſtia vixerit in harum aliqua, de alia multò vehementius conqueratur. Ratio rei talis eſt hæc, quòd ille moleſtiarum harum culpam in Prouinciæ aut loci qualitatem transferat: cùm tamen ea tota in ipſiuſmet hominis mala natura ſita ſit.

Quid ergo prætereà dicemus? niſi qꝫ in aulis, in ciuitatibus, in villis, & alijs in locis omnibus, eum, qui virtutibus operam det, emendatum & ſapientem: in contra-

riam verò partem, eum, qui ſeſe vitijs oblectet, diſſolutum & euentilatum velut eſſe videamus? Vt enim vitium nec non ipſe vitioſus in peius: ita virtus virtutíſq; ſtudioſus, omnem in melius degenerandi venatur occaſionem, qualecunq; tandem vitæ genus id, quod profitetur, exiſtat. Vt hoc ſic eſſe pateat, proponamus nobis eccleſiaſticum aliquem. Quemadmodum nullum prorſus eſt in Eccleſia munus, quantumuis periculoſum, quin eodem fungẽdo quiſpiam ſeruare ſe queat: Sic nullum officium tàm leue putandum, quin aliquis id adminiſtrando æternæ damnationi ſe quaſi propinare poſſit. Id quod ſylueſtris roſæ comparatione deinceps illuſtrari commodiſſimè poteſt. Ex ea enim apes ſuum mel, aranea ſuum fel ſugit atque venenum.

Dicamus verbo, quod res eſt. Bona voluntas, bonum vitæ genus efficit: ſic tamen, vt ea voluntas ab homine, non homo ipſe colatur & honoretur. Princeps aliquis id quòd facere tenetur, facilè quidem fecerit: ſi iuſticiam exerceat, & ab omni tyrannide manus abſtineat. Miles, ſi profectus in militiam, promiſcuam multitudinem, ſupplantando

non

non obruat, religiosus, si in peristylio suo spectando non murmuret: maritatus, si familiam suam, ab adulterio abhorrens, sustentet: diues si de facultatibus opibúsque suis in honorem Dei gratis, & vsuras inde nullas expectans, egenis aliquid communicet: agricola, si laboret: pastor, si greges suos pascendo, vicinos suos nullo damno grauet, excusatus erit. De reliquis hominum generibus idem iudicium esto.

Vt id sic esse planum fiat, probemus age scriptura. In statu regio Dauides erat bonus, Saulus verò malus. In statu Sacerdotali Mathathias erat bonus, Ohnias malus. In statu Prophetico Daniel bonus, Balaamus verò malus. In pastoribus Abelus erat bonus, Abimelechus verò malus. In viduis, Iuditha erat bona, Iezabelis verò mala. In opulentis Iobus erat bonus, Nabalus verò malus & improbus. Quin in ipsis Apostolis sanctus Petrus erat bonus, Iudas verò malus & reprobus.

En tibi, quomodo vitæ genus, quod eligit atque suscipit aliquis, causa non sit, ob quam vel probus vel improbus euadat: idque totum in bono malóve genio consistat.

consistat. Si nos alicui fortasse consulere velimus, vt ruri viuat: dicet ille, cum rusticis conuersari sese non posse. Si eidem auctores simus, vt aulam deserat: dicet ille, negocia sibi vel mille, quæ gerat in aula, suppetere. Si eidem fortè suadeamus vt alicui principi seruiat, dicet ille, se moribus ad id non satis aptis esse præditum. Si nobis consultum videatur, vt ad res sacras animum adijciat: dicet ille, sese tam mane surgere non posse. Si nos ex illius re fore putemus, vt matrimonium contrahat: dicet quòd infantium tenerorũ ploratus audiens, offendatur. Si quis ei suadeat, vt religiosus fiat, tunc contra sese solitudine minimè delectari prætendet. Si quis ad persequenda literarũ studia eum velit incitare: caput sibi sæpenumerò dolere conqueretur. Si quis, vt ad domum suam redeat, exhortetur: sine hominum magna frequentia sese viuere non posse causabitur.

His quæ dicta sunt benè ponderatis, nemo temerè cuiquã, qualénam vitæ genus eligere debeat, persuadere conabitur: & id quidem cum primis, si de honore vitæque bonis coniunctim agatur; ideò, quòd quisquis incipit fortunam suam deplo-

plorare, ille de cōsilio quod accepit, multò magis, atque de malis ipsismet, qualia communicatum consiliū sequendo pertulit, conqueratur.

Aulicum aulam propter id, quòd ibi non benè sit acceptus, minimè sed quod egressus ex eadem, virtuti studere cupiat, maximè derelinquere debere.

Cap. III.

PVblius Mimus in suis annotationibus, *Deliberandum est diu, quod faciendum est semel*, ait. Qua pereleganti sententia nos ille docere voluit, compluribus omninò diebus, id, quod vno duntaxat agere necesse sit, nos meditari debere. Rex Demetrius, Antigoni filius à ducum suorū quopiam, qui Patroclus appellabatur, interrogatus, quid esset, quòd cum aduersario suo Ptolomæo non confligeret: considerato, quòd ipse eo & militaris rei peritia, & numero copiarum longè fortior & instructior esset, *In quibus*, respondit ille, *potentia non habet locum, magno pondere attendendum est.* Quo significare voluit, ad eas res, quas, cùm factæ sint, nemo (quātumlibet,

libet, ipſum pœniteat) reddere poſſit infectas, longo conſilio grauiq; prius deliberatione, quàm quis eaſdem peragendas aggrediatur, opus eſſe.

Cum Licaonienſium dux ille prudens Ageſilaus vehementer, vt certis quibuſdam Thebanorum legatis reſponderat, vrgeretur *An neſcitis*, inquit, *quòd ad vtilia deliberandum, mora eſt tutiſſima?* An vos, ô Thebani viri, latet, quòd ad rei, magni cuiuſdam momenti, deliberationem, melius nihil eſt, quàm de ea longo tempore cogitare? Plutarchus Sartorij vitam deſcribens, inſigniter, illum laudat, ideò quòd ad conſultandum tardus, ad ſuſcipiendum grauis & promptus eſſet. Suetonius de Auguſto Cæſare, *Amicitias*, inquit, *neq; facilè admiſit, & conſtantiſſimè conſtitutas tenuit.* Ad amicos ſibi conciliandum, promptus nō erat: poſteà verò quàm familiaritatem cum quibuſdam contraxiſſet, eam miris omninò modis continuabat.

Huius generis exempa contemplantes facilè adimaduerterint periculum quod illos omnes, qui facturi & aggreſſuri aliquid nimium properant, conſiliumque

umque petendo, ad id ſequendum nimium faciles ſunt, maneat. Nemo noſtrum veſtem, quæ conſuta non ſit, induere ſibi vult, nemo fructum, qui ſit immaturus: Vinum, quod non ſit defecatum guſtare, nemo carnem, quæ cocta non ſit, manducare: ligno, quod aridum non ſit, quicquam vult calefacere. Quæ cùm ita ſint omnia, quæ nam (malum) ratio nos impellat, vt conſilia quaſi viridia ſeu humida capiamus: quibus vtentes, fumemus multò facilius quàm incaleſcamus.

Homo ſapiens & cordatus ſemper de ſuo negocio maturam tempeſtiuamque deliberationem ante ſuos oculos debet habere propoſitam. Nam, cùm meditetur vna hora id, quod tantùm dicere, horis profectò vel decem meditari debuerit id, quod agere conſtituit. Quippe, verba nihil aliud ſunt, niſi verba: quæ vt ſemel imprudenter effutita ſint, reuocare tamen ac emendare ea poteſt aliquis: id verò, quod ſemel inconſideratè factũ fuerit, vt infectum reputetur, efficere, hoc opus, hic labor eſt. Iam, quòd in hac re ſæpenumero peccetur, inde fit, quod vnuſquiſque

quiſq; ad loquendum, diſputandum, iudicandum deniq;, ſe aſſuefacit: ſed ad benè beateque viuendum, & ita deinceps gloriosè moriendum, nemo. Viris grauibus, qui ſuam ſibi ſartam tectamque conſeruare volunt auctoritatem, in id incumbere, peropus eſt, vt neque capitones & feroces in eo quod ſuſcipiunt, neque in eo, quod agunt, inconſtantes eſſe deprehendantur. Nam, ſi quis in ſermone ſuo mendacij, & in eo, quod exorſus eſt, incōſtantiæ cōargui poſſit, ille ſibi maculam longe omnium fœdiſſimam aſperſiſſe cogitet. Magnus animus, onus id, quod imponere ſibi vult, diu quaſi metiri debet: poſteà verò, ſi iuſte, cumque ratione fieri poſſit, multò citius emori, quàm ſemel in humeros ſuſceptum, deponere: vt ita demonſtret, quòd in honeſtis negocijs animi viriles præcipue ſeſe prodant.

Niſi res arduiſſima, viribuſq; lōge maior viſa fuiſſet: Hectorem ab Achille trucidari: ab Ageſilao, Branten: ab Alexandro, Dariū: à Cæſare, Pompeiū: ab Auguſto, Marcum Antonium: à Sylla, Mithridaten: à Scipione, Hannibalem: à bonoque viro Traiano, Dacebalum ſuperari: nunquam prorſus illuſtres illi viri

tantam

tantam famam consecuti fuissent, quantam consecuti sunt. Bonum itaque consilium cum magno animo coniunctum, cogitationes de reb. arduis susceptas moderari debet.

Vt igitur ad rem veniamus: aulicus ita se gerat sane nonnunquam, quasi aulam, velut execrabilem, derelinquere, idoneumq; ad vitam ibidē finiendam redire velit: asserens, quod in tali aulę perturbatione vita sua sibi mors aliqua sit continua. Eheu quam multos hæc bella verba pronunciasse audiui? qui tamen id, quod sese facturos esse dicerent, facerent omnium minime: eoque vno sese excusarent, quod ad aulam, qua veluti visco capti, detinebantur, prædestinati viderentur. Quamprimum noster aulicus argenti præterea nihil habet: vel à quopiam læsus est: vel in iudicio causa cadit: nouit Deus, quam sancte promittat, omne missum sese facturum: non ideo quidem, quod ipsum vitæ male actæ pœniteat, sed quod omnia sua negocia præposterum sortiantur effectum. Quod ita cum sit, sanctum tale propositum, parum sane durat: quod id ei vis, & coactio, virtutis inimica, ægre extorserit. Istius rei mihi testis esse

poteſt idem aulicus ille noſter: qui, cùm proſpera rurſus vtitur ad opes recolligendum fortuna: principique reconciliatus, apud eum rediit in gratiam: ita ſe gerit, vt eius deſideria rurſum frigere, voluntatemque in aulam denuo ſectandam tantopere videas propendere, vt eum duntaxat aulæ natum fuiſſe dicas. Quippe fauor & auaritia ſic ducunt aulicum, vt vtraque hæc magis magiſq; in ipſo augeantur: indeque fiat, vt ad extremum pro Chriſtianis aulicos habeamus. Nam (quod inter omnes omnino conſtat) velut aula locus eſt ille, vbi quis ampliſſimas opes conſequatur: ſic eadem quoque locus eſt, vbi quis æternum mereatur exitium.

Cauſæ, propter quas aliquis, vt aulæ renunciet, commoueri ſoleat, iam ſunt à nobis expoſitæ. Illæ vero ſunt inopia pecuniæ, paupertas, excommunicatio, quando videlicet è gratia priſtina ſeſe quis excidiſſe, item honore priuatum, vel ſenectute grauatum fuiſſe videt. Quæ quidem ſingulæ cum ſint tantummodo neceſſitatis, & ad liberam voluntatem referri nequaquam poſſint:

verum

verum est, illum, qui propter istas aulicæ vitæ rursum valedicit, nullam plane laudem mereri. Genuinus vero mundi, nec non aulæ contemptus, est, quando iuuenis, robustus, gratiosus, opulentus, & sanus aulicus, suæ bonæ voluntatis instinctu aulam deserit, vt alibi, secundum personæ suæ conditionem, ocio deinceps honesto perfruatur. Hæc eo spectant omnia, vt is, qui aulam derelinquit, alacriter eam derelinquat: neque id se fecisse, sibi postea dolere declaret: vt ne, cum iam dolere desierit, in aulam dictam, vbi quod agat, habere possit, reuerti pudore præpediatur. Homines elati, nec non immoderati, plurima sæpius vno solum die committunt, quæ digna sunt, vt toto vitæ suæ curriculo deplorentur.

Vt hoc exemplis illustretur, cholericum quempiam capitonem nobis ob oculos constituamus: qui profecto ad aulam sectandam nullis omnino modis idoneus esse potest. Nam, si cunctas ignominias, & iniurias, quibus afficiatur: si cunctas istas calliditates & fraudes, quibus ab alijs ex aulæ consuetudine cir-

cumueniatur , vlciſci velit : certo certoque ſibi perſuadeat , vnius horulæ ſpacio ſeſe plus eſſe perpeſſurum, quam vel decem integrorum annorum longitudine ſeſe vindicaturum ſperare debeat.

Quiſquis aulam deſerit, rectiſſime faciet, ſi non ad tempus aliquod, ſed ad perpetuitatem deſeruerit: quod, quicunque tædio villæ ſuæ grauatus, ad aulam reuerſus erit, æger exiſtimabitur: præſertim qui febri quadam continua quaſi conflictetur. Vt enim, quicunque poſt commiſſum peccatum, eiuſdemque pœnitentiam, rurſus idem peccatum committit, is nocentiorem ſeſe, quam prius erat, altera vice conſtituit: ita quoque ſeſe res habet, quod ad aulam: cui qui ſemel valedixit, & eandem rurſus ingreditur, tam manifeſtum perpetrat peccatum, vt diſſimulari omnino non poſſit, niſi fortaſſe, aliquem vendendę virtutis, & acquirendarum diuitiarum cauſa ſeſe recte conferre in aulam, affirmare fas ſit.

Sed ad rem. Si nos è ſene quopiam quæramus, qualiſnam vitæ ſuæ fuerit ambitus, illeque reſpondeat, ſeſe plurima ſuſcepiſſe, errauiſſe, dixiſſe, quæſiuiſſe, inueniſſe, perdidiſſe, ſicque deinceps, confi-

confidenter omnino ſubijcere poſſimus, eius vitam, nihil niſi diſſimulatam fuiſſe ſtultitiam. Quid ergo dicendum de noſtris illis aularum dominis, qui talia committunt etiam quotidie? qui dum vel tantillum fauoris appetunt, adeo turpiter viuunt, obliuiſcuntur, vt vel contra naturam adulari mendicareque non erubeſcant.

Intelligas itaque beneuole lector, mē & hic, & alibi de iſtis ſaltem loqui aulicis, qui (dum parum ſapiunt) ſuas appetitiones refrenare, quodque Deus ijſdem fuit elargitus, eo contenti eſſe non poſſunt, quæ aulam deſerentibus difficultas omnium maxima eſſe videtur: quod multo difficilius animi, quam corporis appetitiones ſedari poſſint. Corpus enim aliquando tandem peccando fatigatum, peccare deſinit: at ipſum cor vel animus, nunquam deſiderare deſiſtit. Corporis item conſtitutio facile cognoſcitur atque perueſtigatur: at vnius animi inſtinctus nullo prorſus æuo plene cognoſcetur: multo vero minus eius appetitioni, ſatisfiet: ideo, quod ſingulis momentis vnum quiddam requirat, cu-

ius desiderati, duobus saltem diebus elapsis, obliterat memoriam. O animum dissimulatorem! qui, dum syncerus & apertus esse videri vult, hypocrisin, pro deuotione, ambitionem, pro generositate, auaritiam, pro frugalitate, crudelitatem, pro æmulatione, multiloquium, pro eloquentia, stultitiam, pro graui sapientia, dissolutionem, pro diligentia nobis obtrudere conatur.

Eorum, quæ diximus, hoc est caput, vt quisque, quidnam sua ferat conditio, diligenter inquirat, sicque, si se videat ambitiosum, impatientem, auarum esse, in aula maneat: contra, si sentiat aulicus, sua se sorte contentum, pacisque amantem esse, in casa potius villana se contineat. Quod si faciet, intelliget vtique, viuere quidnam sit, quamdiu versatus in aula fuerit, in mentem sibi nunquam venisse, quodque tum primum id cogitare ceperit, cum se tandem aliquando à negotijs aulicis expedi uerit.

De vi-

*De vita, quam is, qui rursus ex ula dis-
cessit, agere debeat.*

Cap. IIII.

MIronides & Philosophus eruditus, & Bœotiorum dux non imperitus, hominis prudentiam, non tam in fugiendo malo, quam seligendo bono, maxime spectari dicit: ideo quod communiter accidat, vt sub malo, nihil omnino boni: sed sub bono, plurimum sæpe mali delitescat. Et, quid hoc mirum? cum, veluti præstigiatrix aliqua per crucis exorsa signum, postea per Satanam, vel Barrabam quendam finit incantationem: pari quoque modo maxima sæpenumero mala, per aliqua benefacta capiant initium: quod instar laruarũ palliata, & in modum pillularum saccharo conditarum edulcata, instarq; rhabarbari deaurata, parum cautos adoriantur.

Nullus est inter omnes adeo stupidus, quin quod extra omnem controuersiæ aleam malum esse nouerit, ab eo sibi cauere studeat: sed ab eo, quod intelligit non vsquequaq; malum esse, sibi cauere posse, id summæ sapientiæ scilicet est indicium.

Alexander Magnus, cum vulnera quædam, quæ in pugna accepisset, sibi sanari iuberet, ac ab amico suo suauissimo Parmenione reprehenderetur, quod in bello nimium confidens esset: Parmenio, inquit, amice mi, tu contra meos amicos fucatos (si potes) securum me præsta: ego enim eos, qui mihi ex professo inimici sunt, facile cauebo. Alcibiades, Agesilaus, Pyrrhus, Antigonus, Lucullus, Iulius Cæsar, hac in re sic fuerunt cauti & consulti, vt, cum semper ab hoste victoriam reportauissent, inter amicorum suorum manus, vitam cum morte commutarent; cuius rei princeps caussa fuit, quod rebus vilibus abiectis, vtiles semper elegissent. Quæ nobis ad institutum nostrum referentibus, par esse videtur, vt is, qui aulam deserit, non solum quid hoc sit, quod deserit, verumetiam quid illud, quod rursus amplectendum putauerit, examinet: cum tam difficile, quinimmo difficilius etiam sit, cuiquam bene esse, cum aulam deseruerit, quam illam ipsam deserere. Quid vtilitatis consecuturum sese putet is, qui rebus aulæ fatigatus, ex ea discedit, si animus eius in isto, ad quem sese confert, loco non

co non acquiescat? Corpus nostrum cibo refectum, quo volumus eo vadit: animus vero nunquam desinit amplius aliquid expetere: vellentque (si fieri posset) in aulis apud principes esse gratiosus, & nihilominus in villa suis vti fruique placitis atq; commodis. Quod si perturbationes atq; commotiones istas, quas in aula comparauit, aulicus domum suam secum velit auferre, melius illi profecto sit, ex aula pedem non extulisse: cum, quod in solitudine rerum præteritarum recordatio eum plus ac alibi sit quasi morsura: tum, quod ibidem vitam degens in ocio, recordationi tali minus opponere sese possit.

In aulis principum solet accidere nonnunquam, vt & argenti penuria, & magna quædam negocia quempiam à male faciendo deterreant: qui postea quam domum suam reuersus est, facta homine honesto & vrbano tam indigna patrat, vt emendationem, quinimo seueram castigationem mereantur. Est & aliud quoddam genus hominum, qui ideo ex aula discedunt, vt priuatim otiose, & ita viciose viuant: quos ego quidem ex hominum aliorum numero plane deleri vel-

lem, idque non ſine ratione, cum ſit tempus ad delinquẽdum quærant opportunum.

Alij pleriq; ex aula exeunt ideo, quod honor illorum nec non exiſtimatio periclitari videatur: qui deinde ruri viuentes, ipſum quoque pudorem vnà cum ratione amittunt. Has abſurditates, ſi forſitan aliquis aulam deſerens, euitare vellet expediret ei maximè, vt inimicitias quas in aula degẽs præcipue ſectatus eſſet, eas vnà cum perturbationibus alijs omnibus obliuiſceretur: alioquin aulicas iſtas, quas dereliquit, dulcitudines, potius amaritudines, cum dolore rurſus exoptaturus: idque vitæ genus quod ingreditur, miſere deploraturus.

Illud quidem verum eſt, quòd aliquis in aula verſans, plus condemnandi ſui, quam ſeruandi domi vero propriæ, plus ad ſalutem conſequendum, quam ad interitum contrahendum habeat occaſionis: Interim tamen & hoc eſt fatendum, quod aulicus, qui regionem mutauit, ſi per eandem ſimul occaſionem, animum quoq; non mutauerit, parum certe profecerit. Quando dicit aulicus: ego me rurſus in patriam meam recipiam, vt meę domi mo-

mi moriar: bene quidem dicit: melius tamen esset, si eo tempore nulla mortis oppetendæ facta determinatione, in patriam suam honeste rediret. Hæc enim vita mortalis ita cuilibet proposita est, vt eam nemo ægrè ꝓsequi debeat: sed ad eandem quoque corrigendam quilibet est obligatus. Cum Iobus animam suam vitæ suæ tędere diceret, eo significare certe non volebat, quod vitam molestam & acerbā sibi putaret, nisi quatenus naturæ vitiositate sese non emendaret. Quisquis aulam deseri, optime quidem potest affirmare, id sese mortis obeundæ causa non facere, sed cogitare debet, è pulchro quodam carcere, è vita quadam perturbata confusaq;, è conuersatione suspicionū plena, è sepulchro splendido, ex quadam finis experte admiratione euadere, atq; à morbo periculoso liberari.

Sapiens in aula singulis diebus se mori: At vero in agris domi suæ, se vita frui non absurde potest asseuerare. Huius asseuerationis est ratio, quod nihil in vniuerso mundo cum libertate, qua quis & quod vult, & quandocunque vult, agit, conferri possit. Quod tamen sic accipi non velim, quasi dicam, multos in aula

versan-

versantes satis officio suo non facere, sed ideo dico, quod optime sciam, eos loco decem librarum honestæ voluntatis, vix vnam dimidiam libertatis obtinere duntaxat vnciam.

Is præterea, qui aulicus esse desinit, de rebus futuris sollicitus esse debebit: operamque dabit, vt omnia sua negocia bene disponat: id sciens, quòd diebus non admodum multis, quibus in patriam suam reuertatur, opus habeat: sed ad prauos mores, quos in aula induit, rursus exuendos atq; deponendos, longissimum tempus requiratur. Vt enim homo paulatim nutrit vitia, sic eadem pedetentim rursus extirpare ipsum conuenit. Aulicus igitur, qui priuatim viuere se velle constituit, illa deinde sua vitia, quæ præ cæteris correctionis indigere videbuntur, diligenter etiam atque etiam explorabit, ab ijsdemq; se sensim purgabit, sic nunc hęc, nunc alia subinde abijciens, vt vbi perspexerit vnum vitium à sese discessisse, mox in eius locum virtus aliqua succedat, quo progressu temporis è viro bono, vir melior efficiatur.

Aulicus in alia re nulla decipitur frequentius, atque cum triginta totis annis per-

perditus in aula vixit, vnius duorúmue annorum ſpacio ſapientem ſe fieri, ſeq́; totum à capite ad calcem perueſtigare ſeipſum poſſe putat: nõ intelligens videlicet, quod ad vitia dediſcendũ multo longiori tempore ſit opus, quã ad virtutes cognoſcendum: præſertim quod vitioſi mores in portas noſtras intrent blando cum riſu, ſed cum planctu ploratuq́; rurſus indidem decedant.

O ingentem aulici, qui ſolita præcipiendi poteſtate priuatus eſt, perturbationem! o auari, qui lucri nil facit, ingentem mœrorem! o iracundi, cui minandi poteſtas adempta eſt, diros cruciatus! E quibus omnibus eſt concludendum, quod, ſi magnus animus ad aulam deſerendam ſit neceſſarius, ſanus etiam ſenſus ad requiete priuata perfruendum requiratur.

Nunc iſti, qui per ſimulationem quandam deſerunt aulam, ſic affecti ſunt, vt tantum voluptatis ex aula, antea non perceperint, quantam ſi abſint ab ea doloris & cruciatuum cum meo conſilio eam non tam deſerere deberent, quam prorſus obliuiſci. Idem deinceps aulicus operam dabit, vt ex aula ſic exeat, quo nullas eodem redeundi relinquat occaſiones: ne videli-

videlicet eum domus suæ solitudo, voluptates aulæ rursus exoptare cogat. Enimuero cogitationes & affectiones in animo quoque viri prudentis, & deserta iam aula cernentis passim episcopatus & splendidarum functionum officia, nec non alias dignitates vacare, graue bellum mouet, efficiuntque vt arbitretur, se, si quidem ex aula tam cito non discessisset, ad honores magnos euectum, magnas opes cumulare potuisse. Nouit ipse Deus, an non illi ipsi superioribus temporibus generis istius ali quod officium vacans ambienti, per verbum NEGO magnis exaratum literis, responsum fuerit: & an non sit multo melius domi suæ quemuis rei familiaris strepitum audire, quam cum magno dedecore in aula repulsam ferre.

Tam angustis agendarum rerum omnium cancellis circumsepti sunt aulici, vt sępenumero necessitate potius, quam voluntate quippiam contemnere cogantur. Quod tametsi verum sit, multi tamen in aula vitam transigunt, ea molestia quasi nō animaduersa. Aulicus, simulatq; quietis perfruendæ gratia priuatim viuere inceperit, ne locum perturbationibus concedat, in primis annitetur. Alioquin enim

fieret,

fieret, vt cum in aula fuisset inuisus, ruri victurus esset omnino desperatus. Solitudo namque loci, coniugis importunitas, sollicitudo causa liberorum suscipienda, delicta seruorum, murmura vicinorum eum facile pertertuerint. His interim neglectis, vbi recordabitur quod ex aulæ periculoso gurgite saluus euaserit, recte pro semideo sese reputarit.

Præterea, nemo certe sibi persuadebit quod, vbi in villam, ibidem commorandi gratia, sese contulerit, iccirco ab omnibus omnino perturbationibus, atque necessitatibus liber ille sit futurus: cum fieri possit, vt is, qui in via tortuosa petrosaque non cecidit, in plana lapsus vel ipsummet collum perfringat. Necesse igitur est vt is, qui ex aula se retraxit, tempore sic vtatur, prout illud se obtulerit, occupatusque sit, quoad eius fieri potest, virtutibus exercendis: ne ocio videlicet immodico nimijsue cogitationibus animi defatigetur, mediocritat suę terminos euagetur: idque persuasum habeat, quod in vniuerso mundo virtuti nihil adeo sit inimicum, quam ocium, quod superfluarum cogitationum, & per consequẽs, hominum perditorum

solet

ſolet eſſe principium. An nõ eſt deplorandus aulicus, qui præterquam quod bibit, edit, dormit, alij nulli ſe rei dedit: maioremque vitæ ſuæ partem veluti fumum, vel aliquod ſomnium, in aula ocio deſidiaque torpens præterire ſinit: cum ruri ſeſe rebus agendis exercendo, honeſte ſalubriterque vitam ſuſtentare poſſit? Idem deinceps aulicus id ſimiliter operam dabit, vt, cum ex aula diſceſſerit, hominum & ſapientum bonorumque habeat noticiam: & cum his probe delectis ineat ſocietatem: vt, cum prius in aula viuens, ſocios habuerit adulatores, mendaces, ſcurras denique, iam contra viros prudentes habeat amicos & familiares: aut, ſi tales inuenire non poſſit, bonis libris reliquum tempus gratis impendat: tantamque erga omnes exerceat modeſtiam, vt dici vere poſſit, eum ex aula egreſſum, quo bonis placeret & probaretur, non autem dominaretur. Si quis eum forte ruri conſulem creare velit, aut aliud ei publicum munus iniungere, ego ipſi conſulo, vt ab eo ſibi veluti quadam peſte caueat: cum nihil omnino tam turbidum, nihil ad ſuſtinendum ferendumque tam durum ſit animo, quam communis po-

puli

puli regendi prouincia. Non dico, quod ipse non possit, aut non debeat villicos egenos vel sua aulæ noticià, vel pecunia suâ, gratiaque si opus habuerint, adiuuare. Quinimo, si seditiosos eos esse viderit, placare: si inter sese coram iudice contendere velle perspexerit, reconciliare: si per alium modis indignis tractari cognouerit, ab eo vindicare debet. Hinc enim cõsequetur, vt à communi populo magni æstimetur, & à sapientibus etiam concelebretur.

Videat idem noster aulicus etiam atque etiam, ne vel in vestitu prodigus, vel in cibis delicatis, vinisq; pretiosis, dum conuiuia parat, apponendis sit superfluus. Finis enim, propter quem quis aulam derelinquere debeat, est, vt in posterum sobrie non delicate viuat, naturęque, non autem voluptati satisfaciat. Nam, si contrarium admittat, è villa aulam fecerit, cùm ex aula villam facere debeat. Misericordiam quoq; debet habere sibi longe commendatissimam, sic, vt ægros & incarceratos inuisat, pauperibus succurrat, orphanos denique consolando reficiat. Sacram vero scripturam præcipua leget cum diligentia. Cogitabit etiam, vt, quid de bonis

ſuis fieri velit, dum adhuc bene valet, accurate diſponat. Quamprimum enim ex hac vita diſceſſerit, ſatis multos inueniet, qui bonis eius auferendis ſeſe onerẽt, ſed neminem qui animum ipſius, peccatis exoneret.

Poſtremo conſulimus ei qui aulam deſeruit, vt ad aliam rem nullam magis incumbat, quam vt ſe ad bene beateq; moriendum componat. Nec vero eſt, quod quis ea, quæ modo dicta ſunt, facile quidẽ ſcribi, ſed difficulter præſtari poſſe dicat. Nam, ſi vires, vt oportet ſane intendere vellemus, inueniremus nos multò plus poſſe facere, quam de nobis noſmetipſi cogitamus.

Ruſticam vitam præ aulica tranquilliorem, priuilegiatamq; magis eſſe.

Cap. V.

POnamus vero, quod villæ, de qua verba facimus, atq; dominiorum ad eandem pertinentiũ libera nec non allodialia bona ſint omnia, & ita nulli vel directo vel vtili domino (quod in his obedientiæ terris accidit) ſubiecta ſit: habet illa tantum priuilegij, vt quiuis in domo ſua quam vel per ſucceſſionem, vel em-

ptionem quæsitam possidet, libere, nullique seruituti, qualis illa cunque nominari possit, obligatus viuat: id quod in aula, siue qui illam sectantur, seu, qui in ea commorantur, spectes, ita non est. Oportet enim vt aulicus ille noster hospitiorũ præfectum sibi deuinciat, tesseram habeat, eo quo vult, tarde veniat, hospitem suum offendat, portas effringat, muros demoliatur: pauimenta quoq; domorũ corrumpat, ignem vel è scobe faciat: hospitem quoq; nonnunquam percutiat non solum, verumetiam vxorem eius aliquando violet.

O ter & quater felicem, qui habet, vnde sese ruri sustentari potest: Cui tot longinquas terras, emetiri: tot hospitia commutare, tam diuersarum gentium, conditiones & mores experiri, & ita quenquam offendere, necesse non est: sed qui mediocribus suis contentus facultatibus omnibus eiusmodi molestijs exemptus est.

Aliud est villæ priuilegium, quod homo nobilis aut ciuis, qui ruri rerum suarum sedem collocauit, maximus: aut vnus saltem ex istius villæ maximis esse potest: siue probitatem, siue honores, siue auctoritatem denique spectare velis:

id quod in aula magnisq; ciuitatibus nemini contingit, vbi quamplurimos esse videas, qui illum, tum seruorum multitudine, tum luxu, tum opibus, tum autoritate, tum familiæ nobilitate superent. Iulius Cęsar, malle se primas in villa, quam Romæ secundas obtinere, solebat affirmare. Illis profecto, qui magnis ingenijs, fortuna vero tenuiore præditi sunt, in villa cum honore, quam in aula abiecte, & sine fauore vitam trahere præstaret. In celso nempe, & humili loco degere, discrepant in eo, quod is qui degit in humili, pauperes, quorum misereatur, sibi multos obuersari videt: sed is, qui degit in illustri, multos opulentos contempletur, vt ob inuidiam macie contabescat.

Aliud est villę priuilegium, quod vnusquisque bonis istis, quæ Deus ei fuit elargitus, in pace fruitur. Nec enim in villici ædes extraordinariorum sumptuum faciendorum, vel eius vxoris filiarumue seducendarum causa quisquam venit. Occasiones male faciendi ibidem velut emortuæ cessant. Villicus enim dumtaxat in id incumbit, vt rem tractet familiarem, gubernet filiolas, filios suos informet, ser-

uos

uos deinde caſtiget. Ille quietus viuit, nec vlla grauatur importunitate. Viuit ipſi rationi non opinioni ſuæ conformis: Viuit non aliter, ac is qui moriturum ſe ſperat, non is, qui perpetuo victurum ſe putat. In villa tibi metuere neceſſe non eſt, vt bonum habeas hoſpitium, non equis muliſque ciſtarum baiulis tibi eſt proſpiciendum: tu præter hæc aſſeclarum clamores: architriclinorum conquæſtiones: coquorum garritus, ibidem non attendes. Nec opus habebis, vt metuas iudicium, quaſi iudices tibi futuri ſint æquo ſeueriores: & quod adhuc melius eſt, nullos offendes ibidem nebulones, qui te fallant, neque fœminas quæ te, velut in beſtiam quandam commutent.

Aliud eſt villæ priuilegium, quod ibi quilibet ad res etiam quaslibet agendas ſufficiens tempus (ſi ſaltem prudenter id diſpertiatur) habere poteſt. Satis habet temporis vt literis, ſacriſque vacet, ſatis ipſi eſt ocij ad amicos ſuos inuiſendos, atque, ſi venatione delectetur, ad venandum, ad naturam potu ciboque reficiendam: id quod in aulicorum manu non eſt: quod videlicet maiorem temporis

 partem

partem ad negociandum, & modo hunc modo illum honore & cultu prosequendum, vel (vt dicam verius) ad suspirandum soleant impendere, sic vt vere de aulicis id affirmari possit, quod Augustus Imperator de celebri quodam Romanorum negociatore, quo mortuo demiror, inquit Augustus, cum tempus illum deficeret ad negociandum, quo modo moriendi tempus reperire potuerit.

Aliud est villæ priuilegium, quod villici per totam villam deambulare possint incomitati, sic vt illis interim nullus obijciat, quod grauitatem modestiamque non obseruarint. Dominus nullo stragulo, nullo seruo: nec dominæ gynæcæo opus est, sed (quod quidem valde ridiculum foret in aula) vnusquisque solus & sine periculo ex vna vicinia in aliam, ex vna hæreditate in aliam, animi causa sese confert, sic vt nemini de honore suo detrahatur.

Aliud est villæ priuilegium, quod vnusquisque villicus, & quomodocunque & quocunque illi videbitur, abire potest, idque corpus suum quopiam sago, vel thorace vestiendo, manum securiculam,

lam, vel gladium humeris vtrem bombardamque gerendo. Si caligæ laciniatæ molestent, perones gestat: si frigus eum grauet, pelliculatam vestem portat: vnum & idem ei sunt omnia. Quippe vir nobilis ruri viuens, si palliolum tunicamve è panno, calceos è corio confectos habeat, non minus ornate vadit ad ecclesiam, quam magnus aliquis aulæ dominus Mardræ pellibus indutus. Villicus, qualiscunque demum sit, cum nutriendæ familiæ necessaria procurare vult, tam fortunatus est, emporium forumve equa nondum domita, paruoque equulo, frequentans, quam magnus aulæ dominus, qui in stadio decurrere volens, equo insidet cursorio, bene ornato, pannisque deauratis obuelato. Summa, pauperi secundum quod decet, viuenti, melius est asino insidere, quam diuiti virum bonum spolianti, equo generoso obequitare.

Dies ruri longiores, äërem meliorem, domos denique commodiores quàm in aula videri.

Cap. VI.

PErſequenti mihi villę priuilegia hoc tacite prætereundum non eſt: quod is, qui inibi viuit, inter alias commoditates bonum frumentum poteſt habere, & ita bonum panem, qui nimirum bene ſit piſtus. In aula vero contrarium fieri conſueuit: cum panis inibi ſit vt plurimum male coctus, aliove, neſcio quo, modo perperam conditus. Cauſa rei talis efficiens eſt, quod in aulis ciuitatibuſque aut frumenta viciosa ſint, aut molendina mala, aut aquæ ipſæ nihil valeant; propter quas quidem cauſas multos lethales morbos alias graſſatos fuiſſe conſtat.

Aliud, quod equidem mirum in modum laudo, eſt villæ priuilegium, quod quis in illa ſeſe plus exercere, tempuſque melius collocare poteſt, ac in aula magniſve ciuitatibus: vbi diſſimulare, parum ſermocinari, callidum, vindictę cupidum, deambulonem, grauitatis obſeruatorem eſſe, parum è domo ſua expatiari, ſemperque *projicere ampullas & ſeſquipedalia verba*, oportet.

O ſemideum certe, qui ruri commoratur, vbi liberè, quod quis vult loquitur: vbi quis quotidie cū vicinis ſuis ante portam

tam in platea, vel per ipſam quoque feneſtram confabulatur:& id ita quidem, vt de auctoritate mediocri nihil amittat.

Aliud eſt villæ priuilegium, quod ij qui inibi commorantur, modis infinitis ſaniores, & minus ægri ſunt aulicis & vrbanis: ideo quod in vrbibus iſtis magnis domus ſunt altæ, plateæ ſunt anguſtæ & lutoſæ, & ita cauſæ, vt aër in illis corrumpatur, qui corruptus morborum deinceps humanorum quaſi quædam procreatrix eſſe ſolet. Ruri vero domus amplæ ſunt magis, homines ipſi diſpoſiti melius, aër eſt præſtantior, ſol eſt clarior, terra magis eſt deſiccata, priuata communiaque bona ſine contentione præterea reguntur & adminiſtrantur, exercitia magis continuantur, ſocietas hominum inter ipſos eſt ſecurior, & inprimis cogitationum moleſtarum ruri minus eſt, at recreationum longe plus.

Aliud adhuc eſt villæ priuilegiũ, quod, velut in agris nulli medici iuuenes, ita morbi nulli veteres inueniantur. At in iſta aula, ſi quis aulicus ſua bona quatuor in partes diſtribuat, prima pars adulatoribus, ſecunda aduocatis, tertia pharmacopolis, quarta medicorum gregi cedit.

 O vil-

O villam fortunatissimam, cum, quid venerea lues sit, illic omnino nesciatur. Cancer verò quid sit, multò minus intelligatur. Nunquam ruri de paralysi narratum fuit. Vbi podagra similiter hæreditaria non est. Nunquam sciuit aliquis in villa, quid sit iulebus, quid bolus, quid sirupus, quid apozema. Nullus ibi premitur angore & solicitudine nisi perraro. Quid iam præterea dicam? nisi quod in villa nemo fere sciturus esset, quid mortalrũ sit, quid lapides, nisi mapaliorum erigendorum gratia talibus indigerent: cum tamen nihilominus isti villici casulis è ligno bene compactis plerumq; contenti sint.

Aliud est priuilegium, quod dies ruri videantur esse longiores, & quod eos aliquis ibidem melius impendat, quam vel in aula vel magnis vrbibus: vbi & anni sic elabuntur, vt nemo sentiat, & dies ita prętereunt, vt inde voluptatem nemo percipiat. Iam vero tametsi ruri recreationes maiores sint, quam in ciuitatibus, verum est tamen, quod ruri dies vnicus longius durare soleat, quam mensis integer in aula: qua de causa villa beata prædicare potest, vbi Sol longiorem orbem conficere videatur. Matutinum tempus ad exeun-

dum

dum expeditum & promptum est, serotinum vero in redeundo moratur. In aula vix diem effluere quis sentit: id ruri si perspicitur, dies occupationibus ibidem frequentioribus impenditur.

Aliud est villæ priuilegium, quod in illa lignum, fœnum, paleę, auena, longe minoris emantur, quam in vrbibus.

Ruri præterea cibum capit aliquis, vbi, quando, cum quo denique vult: sed in aula tarde manducatur: cibus malè apparatus, frigidus & saporis expers est: quodq; peius est, cum suis hostibus est cuiq; potissime comedendum: cum bonus interim villicus, è voto suo, extraque omnem viuens suspicionem, hasce tres conditiones quidem laudabiles, quæque circa pastum corporis considerandæ sunt, obseruat, vt nempe cibum paret, paratum quæsitumque manducet alacriter, & vt hoc ipsum in bono fiat sodalitio.

Aliud est villę priuilegiũ, quod villicis, quo occupari nec nõ recreari possint, aliquid vsq; suppetit: quod ipsum de aulico vel ciue dici perinde non potest: qui profecto inimicos à quibus sibi metuant, habent satis multos, amicos vero, quib. cum conuersentur, valde paucos.

O villam recreatricem! vbi quis reti vel hamo, vel calce piſcari, feras canibus, funibus, arcu, bõbarda inſectari, palumbos, anates, perdices iaculari: in vineis laborantes contemplari: foſſas attollere: ſepes reficere: cum veteribus agricolis iocari poteſt. Omnibus his ipſis commoditatibus villici perfruuntur, cum aulici necnon vrbani eaſdem fruſtra deſiderare cogantur.

Villicos aulicis plerunque feliciores eſſe.

Cap. VII.

ALiud eſt villæ priuilegium, quod inibi laborum moleſtiarumq; minus aliquis experiatur, feſtiſq; diebus ſeſe plus exhilaret, quam fieri ſolet in aula: vbi propter magnam negociorum deceptionumque confuſionem, feſtuſne dies aliquis ſit, an vero profeſtus, nunquam ſciri poteſt.

O villa, nihil iuſte fit eius generis, vbi die feſto templi præfectus campanas pulſare, fanum emundare, altaria exornare non ceſſat: vbi populus ipſe ornatus eſt, panis conſecratus donatur, dies feſti obſeruan-

seruandi significantur, sacerdos Euangelium proponit, eque bonorum communione malos eijcit, vbi post meridiem se quisque vel mille lusibus honestis exhilarat. In vrbibus autem diem quempiam esse festum, inde solum perspicitur, quando mulieres sese fucant, quando quisque in diem vsque dormit, quando quisque post meridiem ludit, &, vt summatim dicam, quando dies totus voluptatibus exigitur.

Aliud est villæ priuilegium, quod villici venationibus vacare possunt, id quod aulicis atque ciuibus ita concessum non est. Nam, dum aulicus carnibus vescitur venatorijs, propter longitudinem temporis, quo sunt asseruatæ, iam plane corruptis, interim villicus ille nihil, nisi recens sanum, tenerumque manducat. Ita pro temporis diuersitate, quandoque columbos domesticos, turtures, perdices pullastros, quandoq; palumbos, erucas, phasianos, capones opimos, cuniculos, lepores, aliasque bestiolas eiusdem generis innumeras ille comedit. Habet idem quoque villicus oues ad se vestiendum: verueces atque capreolos, ad comedendum: boues, ad arandum: vaccas, ad caseos

ſcos premendum: porcos, ad ſalliendum: iumenta, ad nutriendum: equos, ad operas ſuas exequendum, vel etiam, ſi neceſſe ſit, ad diuendendum.

Aliud eſt villæ priuilegium, quod inibi vir bonus, honore, quo vir bonus affici debet, honoratur: improbus vero contra pro improbo reputatur: id quod in aula fieri non aſſolet: vbi nullus honoratur ob id, quod valet, at ob id ſolum quod habet. Quantis honoribus ruri vir probus, de ſapiente ſuo conſilio, quod ei naturæ bonitas impertiuit, exornatur! quantæ illi gratiæ aguntur! quot deinde munera ſimiliter offeruntur! Si quis agricolarum bonum quẽdam fructum inuenit in horto ſuo, quales ſunt melones, pyra, vinum apianum, illi tanquam de ſe bene merito, muneratur.

Aliud eſt villę priuilegium, quod vnuſquiſque filias ſuas ſuis æqualibus & vicinis in matrimonium dare, indeq; ex die in diem gaudium ſeruitiumq; ſperare poteſt: id quod aulici facere nequaquã poſſunt. Iſti enim filias ſuas cum illis, qui loci longiſſimo diſſiti ſunt interuallo, cõiungunt, & ſic eas abſentes ſæpius deſiderare, quam ſpectare coguntur. O felicem villicum,

qui

qui ipsis præ foribus filiabus sponsos, filijs vero suis sponsas facilime potest inuenire. Ipse eos maritans in vicinia, suos generos, suos nepotes, suamq; totam contemplari potest posteritatem. Ipse amatur, ipsi in suis negocijs auxilium præstatur, ipsi decumbenti ministratur: quæ quidem singula, solatia certe sunt senectutis suę multo maxima.

Aliud est villæ priuilegium, quod homines inibi neque nimium solitarij sunt, neque per nimias importunasq; interpellationes offenduntur: qua commoditate aulici vel vrbani minimè fruuntur, quod in aula ciuitatibusq; nummi sæpenumero deficiant, negocia vero grauia indies proueniant, & nascantur. O villicum beatum, cui, vt ad horam decimam emendicandi consilij causa palatium ingrediatur: vt apparitorem solicitet, vt præfectum consilij comitetur, vt coram causidico sese prosternat, vt adulatoribus, vt magistratui regive reuerentiam exhibeat, necesse non est: sed, harum idololatriarum cunctarum loco, è naturæ miraculorum contemplatione magnum capit solatium, & sic ouium balatum, taurorum mugitum, equorum hinnitum, luscinię

cantum,

cantum , frequentiſſimos thraupidum modulos, ligurinorum garritum, canum curſum, veruecum ſaltum, capreolos in altum crura iactantes, pauones caudam rotantes, gallinas præterea glocientes, gallos ſuas criſtas erigentes, aliaſque vel mille beſtias inter ſe laſciuientes audire, videreque in delicijs habet quotidianis.

Aliud eſt villæ priuilegium, quod inibi quiſque maiorem virtutibus incumbendi, vitiaque fugiendi, quam vel in aula, vel in magnis ciuitatibus, habet occaſionem. Huius ratio eſt, quod in magnis iſtis congreſſibus vſuuenire plerunque ſoleat, vt mille reperiantur, qui à benefaciendo deterreant, ſed decies mille, qui contrà ad turpiter agendum, quoddam quaſi calcar addant.

Ruri deinceps ſeptimum quenq; diem ſanctè quiſque colit: obſeruat feſta: ſacris faciendis intereſt: audit concionem, ſalutemq; ſuam per huiuſmodi media magna cum libertate procurat.

Villa deinceps alias ob cauſas laudabilis eſt, vtpotè quòd inibi non tam multæ, quam in ciuitatibus & aulis perdendi ſui mortalium cuiquam præbeantur occaſio-

casiones. In villa enim nulli sunt honorum gradus & ordines, propter quos alius in alium inuidiam concipiat: nulli sunt mensarij, per quos in occasiones fœnerationis & vsurarum prolabaris: nullæ sunt in villa culinæ publicæ, quæ catillonum turbam nobis proseminent: nullæ dominæ, quæ ministrari sibi velint: nullæ querelæ seu rixæ, propter quas homines inter sese digladientur: Gnathones aulici, qui quid exigant, nulli, de cursoria, propter quæ quis armetur, nulla: ludi publici, quibus alij alios conficiant, nulli: iudicia quæ metuat aliquis, nulla: nullæ (quod & omnium optimum est) cupiditates, quibus aliquis se totum terræ affigat, in villa sunt.

Aliud est villæ priuilegium, quod quis in ea bona coaceruare, sumptibusque minoribus atque fit in aula, se sustentare potest. Inter omnes enim constat, quàm varij sumptus in aula vulgo soleant fieri, quamque vehementer hac in parte modus omnis excedatur: idque maximè hoc tempore, quo aulici isti apparatus adeo sunt exquisite sumptuosi, vt acri quadam reformatione prorsus indigere videantur. O villicum pacatum, qui nullis aulæis

è Flandria: nulla ſindone ex Hollãdia aduectis, nullis vaſis ex argento confectis: nullo lecto viatorio ſeu caſtrenſi: nullis veſtibus fimbriatis vel phrygiatis, nullo curru, nullis mulis, nullis ad eoſdem regẽdos miniſtris, nulloque alio comitatu ſuperfluo opus habet: at harum rerum omnium loco, parua quadam, beneq; diſpoſita ſupellectili, tabula videlicet rudiore, ſellis communibus, ſpondis omnino planis, vaſis ſtanneis, culcitra floccis tantum referta, cortinis ex ſimplici panno confectis, duabus tunicis, æſtiuali altera, altera hyemali, equo robuſto, bono tecto, vno ſeruo, ancilla item vna bene contentus eſt. Quippe tam beatus & honoratus eſt vir nobilis, iſtiuſmodi quadam mediocri ſupellectili in domo ſua ruri, quam quidam diues aulę dominus cum ſuis magnis bonis mobilibus & ſuperbis vtenſilibus eſſe poteſt.

In aulis principum ſancte loqui, ſed profane viuere, moris eſſe.

Cap. VIII.

QVemadmodum in aula nulla rigidior iuſtitiæ viget adminiſtratio: nul-

tio: nullus pater est, qui filium suum castiget: nullus amicus, qui amicum corrigat: nullus vicinus, qui vicinum diligat: nullus pastor, qui suas oues, sic vt in Euangelio præscribitur, admoneat: Ita ille, qui natura bonus est, ibidem magnam, vt malus fiat habet libertatem. Si quis in aula adulterari velit, ille mox habet qui socium se præbeat: Si quis inimicitias exercere, mox inueniet, qui gladio manum admoueat. Si comessari quouis etiam momento comedones & bibones obuios offendet. Si publice mentiri facilime quoque reperiet, qui ipsius comprobet mendacia: Si furari, illi mox aliquas subtilitates, per quas voti sui compos efficiatur, suggeret vel millenas: Si tempus ludendo conterere, è vestigio chartas & talos in promptu habebit: Si peierare denique plurimi, qui mercedem polliceantur, erunt. Summatim, in aula maleficiorum generis omnis committendorum viua proponuntur exempla. In aula enim diuersarum nationum homines vel ad negociandum, vel litigandum, vel famulandum, vel sese saltem commonstrandum & venditandum appellunt: qui, quamprimum quomodocunq; sese innotuisse

tuiſſe perſpiciunt,optimatium miniſtros, ſodalitia tympaniſtas, muſicos, adulatores aulicos, & ex his illos præſertim, qui feſtiuos ſeſe præſtant, ſectantur: tandemque pauperum nobilium perſonam repræſentantes, munera, ſtrænas, & veſtimenta ſibi dari petunt. Illi vero (quod miſerum eſt) qui petentibus iſtis aliquid impertiuntur, hoc ideo faciunt, vt magnificentiores potius quam beneficentiores eſſe videantur.

Iam fortuna in eo quod aulicis pollicetur, & adhuc multo magis in eo quod donat, eſt inconſtans. Ea namque facit, vt vnius horæ ſpacio ille cadat, hic vero ſurgat, ille naſcatur, hic moriatur: ignotus promoueatur, fidelis autem ſeruus obliuione ſilentioque prætereatur, ille, qui venit, excludatur, qui vero diſcedit, recipiatur: ſtulti fide digni habeantur, ſapientes mendacij coarguantur: & ſic opinio quædam falſa, pro ratione vera ſuſcipiatur. Cum hæc aliaque generis eiuſdem, quæ in aulis principum videntur, experientiaque percipiuntur, ita fiunt: vnuſquiſque fortunam ad oſtium domus ſuæ pulſandum venturam eſſe ſperat: cum maior aulicorum pars interim

citius

citius è vita excedat, quam vlli fortunæ obuiam detur: id quod vel illis ipſis etiam contingit, qui ſeſe in bona familia procreatos eſſe fingentes, in aula præ reliquis ſapere videri volunt, cum nihilominus interim ſtultiſſimi rerumq́ue omnium vſque eo ſunt ignari, vt eos aliquis ad ſtiuam, quam lanceam aptiores eſſe vere poſſit affirmare: eademq́ue de cauſa tandem aliquando ad nullam rem aliam ſunt vtiles, niſi vt irriſoribus ludus fiant.

In aula deinceps eſt hoc incommodum, quod perpetuæ ſint inter principes ipſos inimicitiæ, inter familiares inuidiæ, inter ſatellites autem contentiones, inter bilioſos rixæ. Atque vt hæc ita fiant, magna inibi ſemper eſt hominum copia, qui ſeſe ijs interponẽdo & immiſcendo, quæſtum faciunt longe maiorem, quam bonus aliquis theologus ſcripturam ſacram exponendo.

In aula quiduis etiam permittitur, quiduis diſſimulatur, quiduis toleratur: quibuslibet ibi locus eſt, omnes labore macerantur: & omnis generis homines ibi viuunt. Iam igitur, cum cuiuſcunque generis homines in aula reperiantur, qui

fieri quæſo poſſit, vt inibi nemo mentiatur, nemo ludat, nemo deferat, hominumq́ue ſceleratorum quaſi mundus aliquis infinitus non ſit?

In aula hominũ corruptis morib. præditorum alij alios ſectantur. Seditioſus offendit aliquem facilime qui cum fuſtibus experiatur: adulter, qua cum ſcortetur: fur ſodalem ſui ſimilem, & rei furtiuæ occultatorem, ſophiſta, diſputatorem: & denique hi omnes, à quo circumueniantur, inueniunt.

In aula rerum ſacrarum ſtudioſum ſe eſſe quiſque iactat, cogitationesq́ue præ ſe fert heroicas. Ille dicit aulam ſe prope diem derelicturum: hic, amplius ſe non eſſe negociaturum: tertius denique ſe lites inimicitiasq́ue prorſus è medio ſublaturum profitetur. Ac reuera bona ſunt iſta verba: ſed interim animus in mundo poſſidendo cogitationem defigit.

In aula cuncti ſunt ignoti. Miles inibi vadit ſine armis: prælatus ſine habitu: ſacerdos, ſine breuiario: monachus, ſine venia: filia, ſine matre: fœmina, ſine marito: literatus, ſine libris: fur, ſine ſpeculatoribus: guloſus, ab vna menſa ad aliam: vagabundus, ex vno loco in alium: leno ab

vno

vno oſtio ad aliud, & ab vno ſcorto ad aliud ſe proripit.

In aula præterea, cuncti, non ſecus ac Epiſcopi ad ſacrum chriſmatis ſeu baptiſmatis accincti, nomina & vocabula rerum commutant.

In aula namq; glorioſus, honorabilis: prodigus, magnificus: ignauus, ſapiens: fortis, temerarius: ſtultus, hilaris: ſapiens, hypocrita: malicioſus, ſubtilis: obtrectator, eloquens: adulter, amator: auarus, tẽperans: is qui pauca loquitur, ineptus & ignarus appellatur.

Eorum, qui meliores in aula reddantur, numerum eſſe perexiguum: qui vero deteriores euadant, prorſus eſſe infinitos.

Cap. IX.

AVlico ſapienti ſua ſane ſapiẽtia perparũ profuerit in aula, niſi fortuna propitia ſimul vtatur: ideo, quod obſequia ibidem præſtita mox obliuione conſepeliantur: amici deficiant, inuidorum numerus augeatur: vera nobilitas locum non habeat: ſcientia rerum ſit incognita: humilitas deſpecta: veritas occul-

ta, consilium præterea bonum non admittatur. Fodina vero omnium optima, alchimiaque ditissima, quam quis aulicus obtinere possit, est: si prospero vento in puppe vti, ijsque, qui gratia valent apud principes & summos viros, familiaris esse queat: negociorumque suorum procurandorum curam gerat id temporis, dum ipsi fortuna fauet. Conditiones enim, modique amicitiarum magnorum istorum dominorum retinendarum subinde mutantur. Vt id sic esse demonstretur, Platonem loqui, Ciceronem iurare non est opus: cum nemo nõ videat, quod sapiens in stultum, affabilis in præsumptuosum: sobrius in catillonem: pacificus in seditiosum: deuotus denique in Epicureum & atheon degeneret. Vt in aula virtutem comparare magno constat: ita com paratam conseruare magno cum periculo coniunctum est. Ego quæro, an non humilitas periclitetur inter honores: patien tia, inter iniurias: Abstinentia, inter epulas: Castitas, inter tot dominas: Requies, inter negocia: Charitas, inter maleuolentiam, pax, inter seditiones, silentium, inter garrulos, sanus sensus siue sapientia inter stultitiam.

In aula nullus eſt, qui ſorte ſua ſit contentus. Vnus enim quiſque ſemper habet, quod conqueratur: nunc quidem, quod à rege munera nulla conſequatur, nunc vero, quod à principe non promoueatur, nunc, quod vel à Conſilij præfecto, qui negocium eius non expediat, vel à ianitore, qui portam venienti non recludat, vel ab ærarij præfecto, qui ei non ſoluat, vel à creditore, qui faciat, vt ei iure ſit experiundum, prohibeatur: nunc de alio quodam, à quo fuerit iniuria grauatus.

Si quis vnas tantummodo literas, quæ cordi ſint, in aula legat, ſubito leget ille quidem vel centenas, quibus offendatur. Vxor enim marito ſuo ſcribēs, ei domum ſignificat eſſe redeundum, ideo quod aut filiæ iam natu grandes in matrimonio collocandæ ſint: aut, quod eius liberi dicto non ſint audientes: aut, quod ab amicis negligatur: aut, quod pro beneficijs acceptis ingrati, malo bonum recompenſent: aut, quod varijs vndelibet ingruentibus incommodis moleſtetur: aut, quod à vaſallis in ius vocetur, vel alio quodam modo facultates eius atque bona diminuantur: Adeo vt ſint in aula, qui pro eo quod quinque ſolidos tabellario ſoluunt,

coronatum libẽter daturi ſint, vt eiuſmodi nuncia non cogerentur audire.

In aula facit aliquis, multa neceſſitate coactus, quę domi ſuæ facturus nunquam eſſet, licet vel emoriendum ſibi perſpiceret. Iam prandet cœnatq; cum ſuo inimico: iam ſermones cũ iſto confert, quicum ſibi nulla vnquam noticia interceſſit, iam ſeruit iſti, qui talem ſeruitutem æqui boniq; non conſulit: defendit iſtum, à quo ſuppetiæ nullæ feruntur: ſequitur iſtum, qui non honorat: mutuatur iſti, qui non reddit: tolerat iſtum, qui iniurijs afficit: confidit iſti, qui fallit. O aulicum vere miſerũ! qui, ſi egere incipiat, à nemine prorſus in ſua neceſſitate ſubleuatur: ſi in morbum incidat, à nemine viſitatur: ſi è vita excedat, mox eius memoria ſimul inter omnes ita extinguitur, vt à nemine recolatur: ſi virtuti ſtudeat, à nemine laudatur: ſi auctoritate careat, in nullo numero habetur.

Vt in aula nihil eſt rarius atque difficilius quam virtutem inuenire: ſic nihil eſt, promptius quam triplicis hominum generis velut exundationem reperire, qui nimirum ſunt delatores, adulatores, ſycophantæ. Sycophanta ſiue mendaces, principibus,

cipibus, adulatores diuitibus, delatores gratiosis imponunt. Præter hos inibi mulieres, viros, concupiscentia, senes, consanguinei, prælatos, auaritia, sacerdotes, libertas, religiosos, ambitio, præsumptuosos, audacia, confidentiaque sapientes circumueniunt: & isti omnes vna coniuncti per fortunam decipiuntur.

In aula tempus adeo male collocatur, vt ab eo vsque quo cubitu surgit, ad id vsque quo cubitum redit aulicus, nihil aliud agat, nisi vt, quid noui quisque sciat, interroget, in plateis ambulet, literas exaret, de bello communicet, id operam det, vt gratiosorum beneuolentiam conseruet, amicos commutet, cum nebulonibus nugetur, amores persequatur, atque ita tempus omne perdat. In aula multo lentius atq; tardius fiunt omnia, quam vllo alio in loco. Tarde surgitur, tarde ad palatium itur, tarde sacrum peragitur, tarde comeditur, & adhuc tardius vitia emendantur.

Omnia sunt ibi mutationi subiecta & prorsus inconstantia. Honorũ gradus ita variantur, vt paruis ad eos ascendẽtib. magnates ijsdem priuentur. Ibidem pręterea

viduæ

viduæ corrumpuntur : maritatæ , diffamantur : filiæ pudorem verecundiamque amittunt: acuta ingenia, hebetantur: fortes in pigros ſocordeſque vertuntur: prælati , deteriores redduntur : docti , quæ ſciebant, obliuiſcuntur: iuniores pereunt: ſeniores autem iamdudum perditi fuerunt. Huiuſmodi monſtrum ſcilicet eſt aula. Ille, qui magnum æs alienum non contraxit, & ita panni ſericique mercatoribus precium , ſartori vero pro labore confectarum ex ea materia veſtium mercedem non debet, aulici nomine dignus non exiſtimatur. Nec ille aulicus dicitur, qui monilia dominæ ſuæ, eorundemque precium aurifabro: ſpecies vel aromata (vt loquuntur) pro deciſa lite iudicibus: ſeruis ſuis ſolarium , ſumptus à ſe factos hoſpitibus non debeat, vnde omnibus in rebus male conſultum , ſemidamnatum eſſe, concludere liceat.

Neminem in aula poſſe viuere, quin vel per ſemetipſum, vel alium quempiam perturbetur.

Cap. X.

Aulicus

AVlicus permulta facit, ea magis de causa, vt affirmare possit, quemadmodum alij, sic & hæc ego feci, quam quod necesse fuerit, vt ita faceret. Ille quemuis ad conuiuium inuitat, , ne quis eum hypocritam fortassis appellet: ille cum quouis colludit, ne futilis esse videatur: ille cum quouis societatem init, ne solitariam vitam amare putetur: ille dona nebulonibus impertit, ne per illos diffametur.

In aula quisq; perturbationum plenus est. Nam & sic ab ipsa natura comparatum videtur, vt isti, qui illam sectantur, perpetuum crucientur. Oportet enim suos ibi laudare, extraneos vituperare: oportet eos, qui bene faciunt obseruare, sed ijs, qui male faciunt, repugnare: suũ cum sodalibus dilapidare: ipsam vitam hostibus obiectare: & id quidem totum, ea tantummodo de causa, ne quis in hominum sugillationes incurrat.

In aula quilibet dominum quendam sibi proprium, cui totum sese dedat, perquirit: at, hoc interim non obstante, complurium pedissequus esse cogitur. O rem aulici animum rumpentem! cum prius seruitium præstare cogatur, quam mores

domini

domini perſpiciat: eum reuereri, qui reuerentia ſit indignus: deq́; vno ſaltem die dominum ſatellitem his verbis: *Si vobis ita placet*, vel centies compellare: &, quando copiam faciendi ſui Secretario ſit integrum, luſtrare: ad portã expectare: eumq́; qui nomen carnificis plerumque mereatur, poſt vnum & alterum item verbum, dominum appellitare, omniumq́; opinionem approbare.

In aula veluti grauis eſt commoratio: ſic intolerabilis negociatio. Eheu, quanta eſt miſeria, pauperem quendam ſolicitatorem vel actorẽ negocium ſuum magni ponderis exequi cupientem, regem ex vna villa in aliam ſequi, ſic vt male paſcatur interim, ſed hoſpitio permulto peiori adhuc excipiatur. Rex eſt occupatus, cancellarius eſt ſurdus, præfectus ærarij manus non habet, notus oculis eſt captus, ſic, vt ſine pecunia, moleſtiaque longe maxima apud quinq; ſenſus homini à natura conceſſos, velut amiſſos, in aula nil obtineatur. In aula quamuis quis inimicos (id quod perraro ſolet accidere) non habeat: ab amicis tamen ipſiſmet diuexatur: adeo quidem, vt quando aulicus in hoſpitio ſuo, ſui recolligendi cauſa, dormitum

mitum abit, ab omnibus misere vexatur, quod nec parentes suos inuisere, nec principibus aulico more placere laboret, quod cum diuitibus non conuersetur, au ctoritatemque sibi ita nullam conciliare conetur, totus quasi deuoratur. Quo referendum, quod ab impostoribus, & nebulonibus de eo quod non ludat, quod liberalem sese non exhibeat, exibilatur.

Deinde, quando quis in aula libenter esse cœperit, requietis adeo naturaliter impatiẽs, & nouarum rerum cognoscendarum cupidus est, vt ceu dominus Aegyptius frequentissime commutet, regionem, mansionẽ, vestitum, sodalium conuersationem, negociationes, & alios item similiter viuendi modos.

En tibi amice lector, vitam hominis aulici qualitercunque descriptam: similiter etiam villici quam complures quidem laudant, perpauci vero sibi degendam proponunt, ea nimirum de causa, quod quanto plures libros quisque legat, tanto minus inolitam semelque receptam consuetudinem mutare soleat. His, quæ superius exposita sunt bene expensis sequitur, quod aulæ principum

virorum

virorum nullis hominum generibus ſint vtiles, niſi duplicibus, gratioſis nimirum & iuuenibus, per tempus adhuc iudicio debilibus. Gratioſi quidem, penes quos tota rerum eſt ſumma, ſe tantopere diuites eſſe, tantopere metui, tanta fauentium multitudine ſtipari cogitantes, moleſtias aulæ vix animaduertunt: deliciæ vero quas ibi percipiunt, facile perficiũt, vt ſemetipſos obliuiſcantur, ac mirum in modum ignorent. Quod cum ita ſit, fieri tamen omnino non poteſt, quin illorum capita cõmotiora perturbatioraque ſint, nimium videlicet onerata. Ipſorum namque domus alijs hominum turbis plenæ ſunt, aures ipſorum mendacijs audiendis occupatæ ſunt, linguæ vero reddendis reſponſis adeo grauatæ ſunt, menteſque nunc huius, nunc illius adiuuandi ergo coanguſtatæ ita ſunt, vt, quanto maior eſt eorum auctoritas, tanto triſtiores, & ſtupidiores eſſe multoque frequentius lamentari, quam lætari videantur. Imperet igitur inibi, qui volet imperare: fidem nec non auctoritatem obtineat inibi, qui volet obtinere: exitus tandem probat, neminem bonis facultatibusque ſuis ſine honeſta quiete, vti frui-

fruique posse. Taceo, quod ijdem gratiosi, ad maximos honores euecti, perpetuo timere cogantur, fore aliquando, vt rursus humilientur. Eos igitur animo tranquillo non esse, colligitur ex eo, quod metus animi tranquillitati sit inimicus. Iuuenes deinde, iudicio (sicuti supra dictum fuit) adhuc infirmo præditi, vitijsque velut excęcati, vt aulæ toties nominatæ, non intelligunt incommoda, ita de fauore nec non honore ibidem obtinendo non admodum soliciti sunt: sed voluptatibus addicti, maiorem vitę suę partem in schola nequitiæ, sub pædagogo perditionis consumunt.

Frugales in aula laudari, dissolutos autem reprobari solere.

Cap. XI.

AVlicus cum vanis & nulla re occupatis hominibus societatem, nisi istorum, quibuscum conuersatur vt plurimum, similis existimari velit, contrahere non debet. Oportet enim quemlibet id, quod socius suus facit, ipsum quo que facere, vel id, quod eum facere videt,

 dissi-

dissimulare. Neq; est, quòd possit prætendere, cum nullis, nisi secretò se colere societatem: quòd in aulis ingenia reperiantur adeò sagacia, vt non solùm, quòd quisque perpetrat, verumetiam id quod cum animo suo quisque cogitat, intelligant. Nam ne quidem tantus tantulúsve quisquam est in aula quin, quò ingrediatur, vnde egrediatur, quò vadat, qui cum de rebus suis conferat, cui confidat, quid facere constituat, exploretur è vestigio: sic, vt verè dicere liceat quod in aulis vela tegere quidem possint homines, at hominum vitia non item.

Aulicus etiam commoueri vel offendi non debet, si non tam commoda, quam vellet, ipsi regis conueniendi potestas offeratur: neq; tum quoq;, si perficiendi, quod libenter vellet, auctoritatem non consequatur: ideò quod is, qui aulam sectatur, eam vel deserere, vel in eadem sic gerere sese debet, quasi os ad loquendum, vel manus ad se vindicandum non habeat: sibi persuadens hæc ibi cariora, quam vestes aut equos ipsos æstimari. Quicunq; patientia munitus & armatus in aula non est, illi multo melius esset, si nunquã è patria sua aulæ sequendæ gratia pedem extulisset.

Nam si vindictæ cupidus sit atque seditiosus beneuolentiam, at si priuatim viuere velit, honorem perdit. Mala omnia, & omnis generis res aduersæ, quibus villici grauantur quãdoq;, finem tandem suum consequuntur, sed in aula semper aliquid est, quo quis excrucietur. Eius autem rei quæ nã est causa? Fortuna, ea scilicet, quæ istis qui eam pro Dea venerantur, quæque magis opinione, quàm potestate quàm in mortales obtineat, dominatur. Sed aulicus non ei, quod sibi naturalis sensus suadet, sed quod ipsa ratio dictat, assentietur: quòd ille perpetuò velit, vt plus quàm opus sit, expetamus: hæc verò duntaxat id, cuius indigemus. Prætereà, cùm tantus in aula mensurarum, ad vorandũ, tantus ardelionum, ad ludendum: tantus contentiosorũ, ad sese mutuis ictibus verberandum: tantus nebulonum ad litigandum inueniatur numerus, mirum profectò nemini videri debet, si frugales & inibi gratiosi, dissolutè verò sese gerentes sint inuisi. Vir bonus in aula est veluti nucleus in cortice: medulla in osse: margarita in concha: rosa in spinis. Ego verò non dico, mi lector, quòd pro quantitate qualitateq; vitiorum, quæ in aula vigent,

omnes qui ſunt in ea, vitioſi ſint (id Deus omen auertat) ſed cum recordor, quod nos omnes homines ſumus, inter tot Scyllas & Charybdas, ad bonũ quendam portum appellere, rem eſſe longe omnium difficillimam, mecum cogito.

Quod ſi dicat aliquis, cautos ſubtileſque ſic in aula ditari, vt magnæ penes eos pecuniarum ſummæ reperiantur, ego quidem confitebor hoc ita eſſe: & bene quidem hoc diceretur, ſi ſapientiſſimi & generoſiſſimi quique propter ſuam ipſorum prudentiam in eo numero eſſent, in quo propter audaciam furacitatemque ſuam complures alij ſunt, vt iam nihil dicam, quod virtutis præmiũ, cum eo quod eſt fortunæ, nihil omnino commune ſoleat habere.

Aulicus item, vt alijs munera dare non debet: ita nec ipſe ab alijs oblata facile recipiet: ideo, quod non promerenti quicquam donare, mentis impotentiam notet: ab eo vero, à quo quid accipi non debet, aliquid accipere, vile ſit. Qui liberalitatem vult exercere, conſideret ille mihi, quid nam ſit id, quod donat, & quis is, cui donat. Nam magnæ prorſus eſſet amentiæ ſignum, ſi quis aut id, quod non

poteſt,

poteſt, donare vellet: aut id, cuius ipſemet indigeret. Oportet item tempus & oportunitatem, & finem, cuius ergo quippiam videatur eſſe donandum, in munerando conſiderare. Si quis aulicus minus liberaliter, & nullius accepti doni recompenſandi gratia, cuiquam qui & auctoritatem amiſerit, & iam nunc ſeſe ſubducere inceperit, aliquid donet, an non illud donum, quod in iſtum contulit, male collatum fuiſſe cenſendum? An non deploranda res eſt, quod quis adulatori, qui fictis eum laudibus extollat, vel ſcurræ, qui riſum moueat, vel alicui diſerto, qui mendacium colore veritatis exornet: Vel alij, qui res nouas excogitet, multo citius aliquid impertiatur, quàm fideli cuipiam ſeruo, qui toto vitæ ſuæ curriculo meritus eſt ſtipendium. Id quod ego non ideo dico, quaſi magnis viris perſuadere velim, ne multis largiantur, & nullorum præterquam ſuorum miſereantur: ſed ſeruos tantum proprios alienis præferri volo, quod ſerui dominos ſuos propter munera, quæ dantur, amore maiori proſequantur, quam propter mercedem illis certo & definito conſtitutam. Nam dominus ille,

qui seruis suis domesticis, quos negligit, intuentibus donat aliq̄d alienis, sibi certo certius persuadere potest, quòd serui proprij non tantummodo de eo quodcunq; sic alijs donari vident, murmurabunt: verum etiam dominum de eo, quod ab ipso designari viderint, per iracundiam quandam accusabunt: & ita fiet, vt, quos amicos habere potuerat, eos infestissimos & maximos sibi constituat ipsemet inimicos. Dona, eum, qui illa recipit, donanti maximè subiectum reddunt. Sic, quisquis à quoquam vel equum, vel vestem dono oblatam accipit, sæpiúsq; cum eodem cibum capit, is ei vicissim tantopere sese obstringit, vt ei fauere, eius causam agere, cum ipso conuersari, ab eius partibus esse & stare, idem quod is amat, amare quoq; teneatur? Atq; id quidem rationi maximè consentaneum est, vt is, qui ab aliquo beneficium se accepisse, nouit, erga eundem se gratum declarat: sic tamen vt videat, ne alieno sese tantoperè subijciat arbitrio, vt existimationis interim ꝓpriæ obliuiscat̃.

Multorum sanè liberi, in honesta familia nati, in aulam se conferunt, in eandemq́; bonam patrimonij sui partem secum portant, quàm ludendo, comessando,

do, adulterando consumunt: dumque id vrbanitatis addiscendæ causa facere prætendunt, in magnatium sese domos insinuant, non alium in finem, nisi vt blanditijs excepti, cibis opimis ibi tractentur: idque ita vt more iuuenum, imò valdè iuuenum omne suum patrimonium non solum profundant, sed æstimationē quoque simul amittant, tum, quamprimum peræ ipsorum fuerint exhaustæ, quotidie plateas, fana, palatia, rerum nouarum inquirendarum gratia, tam assidui, quasi munus hoc illis sit proprium, frequentant: idq; faciunt, vt fabulas & mendacia ad magnorum dominorum mensas commemorare, & ita gratis manducare & prograecari possint.

Aliud quoddam iuuenum, & bene barbatorum quidem, genus in aula reperitur, qui inibi dominum, ad quem se recipiant, non habent: &, simulatque extraneus quidam accesserit, ad eum subito confluentes affirmant, quòd ei in aula viuendi rationem, palatij conditionem, & modum, quo sibi à deceptoribus caueat, demonstrare, & vt gynæcæi præterea noticiam habet, curare velint. Quod dum miser ille aduena syncerè dici putat, pri-

mo quoque die quadam tunica, ſecundo deinde quodam ſago, tertio, equo, ipſoque ſepius emungitur etiam marſupio.

Aliud adhuc eſt in aulis hominum genus, qui tam magna cum auctoritate, ſed adeo parua cum ſagacitate negociantur, vt, cum virũ quempiam inibi præſtantem frequentauerint, mox eidem ſeruulum cum charta quadam mittant, eaque quod nobiles ſint pauperes, magnatis alicuius conſanguinei, quo munus aliquod affectent, ſibique aliquid eſſe perſoluendum, ſignificent: precenturq́; vt ſuæ tenuitati nummis quibuſdã ſubueniat: cum tanta nihilominus illorum paupertas non ſit, quin eiuſmodi mendacijs aliquid conſecuti, equum, ſeruum, quid? etiam meretricem ſuſtentent.

Aliud adhuc in aulis hominum fallacium genus inuenitur, qui, dum palatij delectatione capti, ſeſe illi addixere, ab vna ad aliam peruagantur eccleſiam, ſtipemq́; mendicantes aiunt, quod pauperes ſint litigatores, quodq; mendicare quam furari malint: ſicq́; obtinentes, vt pro concionibus populo commendentur: bona, quæ pauperibus merito communicari debuerant, ipſi ad ſeſe alliciunt.

Aliud

Aliud adhuc eſt hominum iſtiuſmodi fallacium genus, qui domos magnatium percurrentes, officioſorumque virorum perſonam ſuſtinentes, nunc domus magiſtro, nunc diſpenſatori, nunc ampullario, nunc coquo blandiuntur, deq; menſarum reſiduo viuentes, cum ſacculis atq; manicis cibo refertis ad cœnandum inde diſcedunt.

Aliud adhuc eſt hominum talium genus, qui bini ternive gradientes, ita ſeſe partiuntur, vt hi hodie, illi poſtridie, hac illaq; diſcurſantes, ſi quippiam non ſatis bene cuſtoditum ſit alicubi relictum, perluſtrant: ſiq; gladium, tunicam, thecamve nummariam perditam offenderint, velut ad ſe pertinentem, ſecum auferre nō grauantur.

Sunt adhuc alij nonnulli, qui, meretricem quandam, cum aula in alium locum transfertur, ſecum circumducentes, ac lenonum nomine ſe venditantes, ex eius deploratæ lucro vitam trahunt.

Alij ſunt, qui adulteratis teſſeris, chartiſq; notatis inſontes & rudes decipiunt, eorumq; pecunias lucrantur, animas vero ſuas perdunt.

Sunt etiam plerunque mulieres in aula, quæ, ſimulatque viderint aliter ſe victum lucrari non poſſe, libidinoſis operam ſuam addicentes, fallunt eas quæ caſtæ ſunt, ſubornant maritatas, moleſtant vicinas, diuendunt filias, quas eum in finem eductas habẽt: vnde fit, vt iſtæ perdiſſimæ puellas vilius ſæpenumero æſtiment, quàm murænas etiam ſuas vlli piſcatores.

En itaque beneuole lector, aulæ ſodalitium, en ſanctuaria, en religionem, en fraternitatem, en aulæ confuſionem.

Vt concludam, per me licet, vt in aulam ſe conferat: in aula reſideat, quicunque volet: ego, cùm recorder, me Chriſtianum eſſe, quem temporis malè collati rationem reddere oporteat, multò longeque libentius aulæ valedicto terram arabo, meque conſeruabo potius, quàm vt apud regem mea me reprehendente conſcientia commorari velim.

Omnes in aulis principum, quòd facere, quid velint, nullos autem quòd faciant, affirmare solere.

Cap. XII.

BIas, ille magni nominis inter Græcos Philosophus, ad regem Alexandrum Magnum aliquando, *Quilibet in negocio suo hebetior est, quàm in alieno,* dicebat: significare volens, in re sua propria quemque cæciorem plerunque esse, quàm in aliena: idq́ue probandi gratia, quosdam mortales inueniri, qui ad dandum bonum quoddam, maturumq́ue consilium, & ad negocio, quòd ex improuiso sese obtulerit, medendum, si quidem id ad alium pertineat, iudicijs ingenijsq́ue valeant, plus quàm heroicis: quos vel ad suos benè regendos, vel ad tegendã suam ipsorum miseriam omni sapientia, sensibusq́ue adeò communibus destitui, confirmabat. C. Cęsar, Octauius Augustus, Marcus Antonius, Septimus Seuerus, Marcus Aurelius, alijq́ue sexcenti, propter administrationem tam priuatorũ suorum, quàm reipublicæ negotiorum magnificebant: sed ad suas domos, vxores, familiam denique

deniqueregendam, negligentes adeo fuiſſe legimus, vt illis id ad magnam ipſorum ignominiam ſit exprobratum. Sunt qui Reipublicæ vtiliſſimi ſint, at familias ipſi ſuas regere non poſſint, curatoriſque (ſi dicere liceat) ipſimet indigeant. Narrat Plutarchus celeberrimum illum ducem Nyciam in prælio non ſuccubuiſſe, niſi tum, cum proprio fiſus atque niſus ingenio fuiſſet. Quod ſi Hiarchæ philoſopho fidem putamus adhibendam: res eſt longe pernicioſior, ſi vir ſuum proprium amet conſilium, quam mulierem: ideo quod, qui amat mulierem, is in ſemetipſum: ſed, qui ſuo proprio nimium tribuit conſilio, is in rempublicam delinquit vniuerſam. Quæ omnia eum in finem dicuntur, vt ij, qui aulicos ſeſe profitentur eſſe, in id inprimis incumbant, vt cum doctis, grauibus, & peritis viris conuerſentur. Grauitas enim virtutem docet: quam ſcientia in actum producit: experientia deinde prorſus abſoluit.

Aulicus certe, quantumuis ingenioſus, diues, gratioſus ille ſit, tamen quodam quaſi patre, qui ipſi conſilium præbeat: fratre, qui perſuadeat: ductore, qui ipſum

ipſum in viam quaſi deducat: magiſtro, qui doceat: præceptore, qui corrigat opus habet: quod aulæ impoſturis, deceptionibus, & impietatibus adeo multiplicibus exundet, vt eas nemo ſine doctore percipere, nedum vitare poſſit. Ignauis hominibus nulla facilior & planior ad ſe perdendum poteſt eſſe via, quam ſi proprio conſilio ſeſe moderari velint. Aula perpetuum eſt ſomnium: volutabrũ fundo carens: incantata phantaſia: Labyrinthus, in quem quicunque ingrediuntur, ij ſe perdunt: ſique rurſus egredi velint, vt ex ipſiſſimo eiuſdem fundo emergant, opus habent. Nunc omnium optimum apozema, quod aulicus medendis hiſce malis adeo multifarijs inuenire poſſit, eſt, amicus fidelis, qui non aduletur, ſed omnino talis à quo, ſi tarde redeundo, ſi nocte diſcurrendo, ſi quem colludentem decipiendo, ſi inhoneſtè amando peccet, caſtigetur. Sed vbinam talem reperiat aliquis amicum? quod in aulis ita fieri ſoleat, vt amicitia duntaxat inter duos aut tres profligatiſſimos nebulones ineatur, qui vnà, neſcio quam, mercaturam, quos ludos, quas inſolentias, quas digladiationes atque conflictus exercentes, alij

alios

alios non modò non corrigunt, verum etiam occasionem peccãdi difficiliorem, reddunt faciliorem. Quod cùm ita ſit, is, qui in aula cõmorari volet, operam dabit, vt ſapientem quendam ſibi conciliet amicum, qui cùm ſine metu cõmunicare poſſit omnia, ſic, vt alij ſint eius amici cõmunes, at verò vnus iſte omnium maximè neceſſarius. Ego ſimul optarẽ eundem cum ſeditioſis, bilioſis, vagabundis, nullã prorſus habere communionem, quòd iſti plerunq; regem non ſoluere: omnia in aulicorum gratioſorum manu eſſe: ſatellites nimium moleſtos ſe præbere: merita malè compenſari: bonos in ignoratione verſari conquerantur, talibúſque & alijs non abſimilibus ſermonibus efficiant, vt miſer aliquis aulicus, cuius aures ita pertunduntur, officium ſuum negligenter faciendo murmurare incipiat.

Is etiam, qui re vult eſſe Chriſtianus, dum in aula verſatur, prauos ſuos mores, ſpe vitæ longioris emendare non intermittet: cùm, quò quis eſt ſenior, eò maiores recentiorum deliciarum perfruendarum inueſtiget magis occaſiones, quam vt peccata vetera, quæ commiſit in iuuentute, corrigat.

Ita videas ſæpenumerò non paucos, qui quotidie polliceantur: vbi conſeöerint, tum demum meliores fore: cùm nihilominus ipſis etiam malis genijs deteriores emoriantur. Huius quidem rei cauſa eſt, quòd in aula quiſque dicere conſueuit, *Nos faciemus:* at, *Nos facimus*, omninò nullus.

In aula quoque reperiuntur annoſi quidam vetuli, qui reges, quibus inſeruierunt: principes quos viderunt: mutationes item officiorum, bella præterita, quæ meminerunt: caſus quos fortuna volente perpeſſi fuerunt, enumerare conſueuerunt: cùm ijs omnibus, quæ ſe vidiſſe perpeſſóſque fuiſſe commemorant, non obſtantibus, diuitiarum conſequendarum, iuueniliumq́ue deliciarum perfruendarum ſint adeò cupidi, quaſi primum viuere incipiant. O miſerrimos, qui perpetua anxietudine, perpetua moleſtia, nec non infinitis animi perturbationibus obſtipati, inde vſq; ab infantia, (quæ ad decimumquintum annum pertingit) adoleſcentiam: virilem ætatem: ipſamq́; adeò ſenectutem, opes duntaxat coaceruando famam familiæ,

miliæ, gentiſve ſuæ amplificando tranſigant: ne tantillum quidem cogitantes interim, quod loco veræ quietis, & animo & corpori quendam præparent infernum.

Aulicus præterea non temere ſibi de ſuis aduerſitatibus, quarum non paucas experietur, conquerendum ſtatuat. Cogitare namque conuenit, quod nos ſæpenumero de re quapiam querelam moueamus (idq́; noſtrimetipſorum vitio) quæ, ſi loqui poſſet, de nobis ipſa potius conqueſtura eſſet.

Quamprimum videt aliquis aulicus, quod pauper ſit, quod auctoritate careat: quòd diuites eius obliti ſint, quòd id amiſerit, cuius inprimis participem ſeſe futurum ſperabat, mox fortunæ conuiciatur, ſuumq́ue deplorat infortunium: Cum interim non ipſum fortuna, ſed ipſemet fortunam à ſe quæſitam inuenerit.

Eſt qui ſtatim ſe diuitias, honores, dignitatesq́; conſecuturum, opinatur: qui poſtea ſe ad paupertatē redigi, abijci, contemniq́; vidēs: cum aliter id vindicare nō poſſit, mox infortunatum ſe clamat eſſe: qui

qui profecto meræ suæ stulticiæ, quæ ipsi, vt suæ domus cõmoditatibus posthabitis, cæco fortunæ euẽtui sese exponeret, persuasit, attribuere debuerat, cum nemini iustè possit irasci, quam sibimet ipsi, qui fenestram malis suis ipsemet aperuerit.

Id omnium est optimum, vt, si quis est in aula, ibidemq́; perseuerare vult, multa dissimulet, si quis fructum quempiam laborum suorum percipere vult, vt in id omnes ingenij neruos intendat, si cui grata sit aula, vt maneat: si cui sit ingrata, vt inde discedat: Cum vt aliquis malè sit contentus, id non in loco, vbi quis agit, sed in animo ambitioso & affectibus agitato consistat.

Aulicus quidem hoc sibi pro certissimo persuadere poterit, se, quantumlibet ingeniosus, opulentus valdeq́; sit gratiosus, tanta tamen fortuna minimè in aula vsurum, quin, si tria quędam negotia prosperè fuerit executus, alia vel quinquaginta ipsi vel saltem ipsius amicis sinistrè sint cessura. Quamuis enim hoc in suis vniuscuiusque rebus feliciter successerit, in amici tamen sodalisque negotio longè diuersum poterit euenire. Quod cùm sit, ex eo quod amico denegatum fuit, auli-

cus ille bonus maiore mœrore, quàm voluptate ex eo, quod in re sua obtinuit, afficitur. Sic aulico semper offertur occasio, propter quam sit malè contentus. Quid? Huiusne rei certius aliquod argumentum requiratur, quā quòd, siue quis in aula sit, siue non sit, alia nulla de re, nisi quid in aula noui acciderit, quid faciat rex, quid principes, quid satellites, quæri audiat?

Iam nullus est, qui non intelligat, eum, qui de nouis rebus ita quærat, nouitate rerum sese non duntaxat oblectare, verumetiam fortunæ suæ mutationem desiderare. Hinc pauperes opulentos se fore, opulenti, imperandi, omnium denique potentissimi, potestatem dominandi sese consecuturos esse putant. Eheu, quàm multi sunt in aula, suspirantes & sperantes, quod rex eorum habeat notitiam, aut quòd is, qui apud regem gratia valet, propediem sit moriturus, aut quòd fortunæ beneficio futurum sit, vt, quibus honoribus alij priuati sint, ad eos ipsi vicissim euehantur. Ita fit, vt tempus expectantes plerumq; decipiat: Cum mors eos ex improuiso adorta, tales, quales offendit, abripiat.

Nume-

Numerum bonorum in aula paruum, in rebuspublicis esse maiorem.

Cap. XIII.

PLutarchus in eo, quem de exilio scripsit libro, memorię proditum reliquit, quòd olim inter magnum illum Regem Ptolemeum nec non alios septem legatos, qui diuersis è prouincijs ad eum accesserãt, dum cœnarent vnà, quęstio: quęnam istarum Prouinciarum respublicæ melioribus legibus moribusque regerentur: mota sit. Dicti legati erant partim Romanorum partim Carthaginensium partim Siciliensium, partim Rhodiensium, partim Atheniensium partim Lacedæmoniorum partim Sicioniorum: inter quos illa quæstio coram rege magno cum studio disputata fuit atque discussa, ideò, quòd eorum singuli patrię suæ amore flagrantes, pro ea rationes tam probabiles quàm poterant, allegarent. Bonus itaq; rex ambigens, cùm veritatem, quæstionísque motæ resolutionem scire percuperet, iubebat, vt quilibet illorum prænominatorum legatorum, tres conditiones, legesque & consuetudines, quas in sua quisque republica sciret obseruari

omnium optimas proferret. Ea nanque ratione futurum putabat, vt, quænam illarum melius regeretur, & ita laudem maiorem præ reliquis mereretur, facilè perſpiceretur.

Legatus itaque Romanus inter illos omnium primus exorſus, Romæ templa honorari, magiſtratibus obedientiam præſtari, malos caſtigari aiebat.

Legatus deinde Carthaginenſium, Carthagine nobiles viros ſemper cum ſuis hoſtibus bello decertare; populum laborare, Philoſophos rudiores informare dicebat.

Legatus Sicilienſium, Siciliæ iuſtitiam adminiſtrari, veritatem amari, æqualitatem laudari aſſerebat.

Legatus Rhodienſium, Rhodi honeſtos eſſe viros ſenes, pudicos eſſe iuuenes, tranquillas & illabefactas eſſe matronas, affirmabat.

Legatus Athenienſium, vt diuites factioſi, populus ocioſus, gubernatores imperiti eſſent, Athenis non permitti pronunciabat.

Legatus Lacedæmoniorum, Lacedemone nec inuidiam, quòd omnes inibi eſſent æquales, nec auaritiã, quòd omnia

eſſent

essent communia, nec desidiam, quòd omnes laborarent, regnare asseuerabat.

Legatus Sicioniorum, Sicione nullos extraneos, qui res nouas excogitarent, nullos medicos, qui bene valentes enecarent, nullos aduocatos, qui lites in infinitum protraherent, admitti significabat.

Cùm rex Ptolomæus, & qui cum ipso erant, has adeò bonas & sanctas istarum rerumpublicarum constitutiones audiuissent, suas cuiusque maximis omninò laudibus extulerunt, asserentes, iudicare se satis non posse, quænam illarum præstantissima dicenda videretur. Quæ quidem historia obseruatione est dignissima, dignior imitatione. Nam si tot legati iam conuenirent, deque rebuspublicis, quæ sunt hodie, dissererent, illos multo plura, & id quidem sine comparatione, reperturos esse, quæ vituperarent, quàm quæ laudarēt, opinor. Olim regiæ domus tam bene erant reformatæ, reges ipsi tam iusti, gubernatores tam moderati, vt inter eos offensæ paruæ castigarentur, & de magnis perpetrandis cogitare prohiberentur: quò videlicet offensarū paruarum punitio malis terrori, sed magnarū pro-

 hibitio,

hibitio, bonis eſſet admonitioni. Illud in noſtris rebuſpublicis nõ obſeruari, liquet inde, quòd in illis tantum malorum atrociumque delictorum committatur. Nos enim (pro dolor) ea, quę veteres iſti morte digna iudicantes, meritis ſupplicijs puniebant, veluti peccata venialia diſſimulamus. Sycophantæ enim, ijque omnes, qui diſſolutè viuunt, à nobis ſuſtentãtur, tantum abeſt, vt à quoquã profligentur. Si qua ſit domina nobilis, vel vidua, vel nubilis, vel male maritata, quę amatorum officijs delectetur, ea, tantum abeſt, vt ab vno ſaltem, quia malè faciat, reprehendatur, vt vel quingenti, qui illi ad malum quoddã facinus in ſe turpiter admittendum ſint auctores, inueniantur.

O tempora! o mores! quanquam talium malorum cauſa potius hominum moribus, quàm temporibus aſſignanda ſit, adeò, vt is, qui bonus in noſtris rebuſpublicis appellari poteſt, omnibus omninò Conſulibus, quotquot vnquã in Romana republica fuerunt, ſit laudabilior: ideo quòd, vt olim monſtri ſimile putatũ fuit, vnum malum inter centum bonos, ſic hodie vnum bonum inter centum malos inuenire ſit longè difficilimum. Sacra ſcri-

ptura

ptura laudat Abrahamũ, qui in Chaldæa, Lothum, qui in Sodoma, Danielẽ, qui in Babylone, Tobiam, qui in Niniue, Nehemiam, qui in Damaſco iuſtus extiterit: innuere volens, ſi qui iuſti ſint aulici, eos in illorum tam ſanctorũ virorũ numerum referri poſſe, quod, ſicut illis, ſic nec his vlli ſint, qui ad bene viuendum incitent, multi verò contra reperiantur, qui ad eos perdendos duces ſe præbeant. In aula tanta erronum, luſorum, blaſphematorũ, deceptorum denique eſt copia, vt nemini mirum ſit amplius, ibi illorum tot eſſe, ſed hoc mirum ſit, ſi quis alia quapiam de re, quã de illiſmet ipſis verba fieri audiuerit.

Mundus enim qui nunc eſt, in roſis ſuis nihil præter ſpinas, in arboribus nihil præter folia, in vineis nihil præter labruſcas, in granarijs nihil præter paleas, in theſauris ſuis præter alchymica nihil habet amplius. O vos aurea deſiderataque veterum ſecula! Differentia, quæ inter vos hæcque noſtra præſentia ſecula conſtitui poſſe videatur, eſt, quòd mundus ante vos paulatim degenerabat, qui nunc totus omnino corruptus eſt atque perditus. In te, ô mundus, quiſque ſuſcipit, excogitat, facit, incipit & perficit hoc

quod ipſe cunq; vult: quodque peius adhuc eſt, ita viuit, quomodocunque vult, cùm exitus interim ſit incertiſſimus. Parum eſt in te, ô mundus, quod expectari, parum, quod defendi, parum quo quis frui, minimum verò, quòd meritò queat aut debeat conſeruari. In contrariam verò partem multa ſunt in te, quæ deſiderari, multa, quæ emendari, multa, quæ deplorari poſſint. Noſtri maiores ſeculo viuebant illo ferreo, ſed iſtud, in quod nos incidimus, cœnoſum ſummo iure poterit appellari: ideò, quod illud ipſum nos in perpetuo quodam volutabro detineat immerſos: &, vt impuri macularumque pleni perpetuo ſimus, efficiat.

Aulæ complures eſſe moleſtias, pluréſque bonos villicos, quam aulicos reperiri.

Cap. XIIII.

HOmerus Poëta labores & moleſtias Vlyſſis Græcorum principis; Quintus Curtius, Alexandri & Darij; Moiſes, Ioſephi in Ægypto; Samuel, Dauidis & Saulis; Titus Liuius, Romanorum; Thucidides, Iaſonis cũ Minotauro; Saluſtius,

Iugur-

Iugurthæ & Catilinæ, descripsit: quos bonos auctores ego imitaturus, molestias & ingratos istos labores, quos hoc nostro seculo sine vlla recompensatione tolerant, & ad quos perferendos animi satis, ab ijsdem verò sese liberandi sapientiæ nihil habent aulici, ob oculos constituere conabor.

Quòd aulæ labores ingratos appellem, id sua quidem ratione non caret: cùm aulici tam varia incommoda ne tantillum quidem vtilitatis inde percipientes, perpetiantur, vt ijs, velut equus emeritus sarcinis aut aratro assueti videri possint.

Iam, si quis obijciat, parum circumspectè me facere, quòd aulicos infortunatos & afflictos esse dicam, cùm beatum fortunatumque se quisque putet, cui potestas in aula viuendi contigerit; is, si cogitat, illos omnes qui extra aulam viuũt, esse bestias & imperitos, se verò solũ sapientem; illos rudes & duros, se delicatum & mollem; illos viles & contemptos, se verò honoratum, illos blæsos, se eloquentem; is, inquam, toto (quod aiunt) cœlo se errare sciat. Nam, si ij qui versantur in aulis, essent, (quod ipsis à Deo quidem precor) omnium perfectissimi, & felicissimi, le-

thaliter profecto nos delinqueremus, quod aulicam vitam ex tempore nõ profiteremur, cùm ſciamus nullum vitæ tempus melius impendi poſſe, quàm quòd doctis ſapientibusque viris audiendis impenditur. Verum, quid multis opus eſt? loca non faciunt vt homines ſint meliores, ſed homines potius ipſa loca reddunt meliora. Vt huius aſſertionis exempla ponamus, plurimos in villa modeſtos ingenioſosque viros, qui ruri operas ruſticas faciunt, reperiri conſtat, in aula verò, qui præ nimia tumentes ſuperbia, pro magnis ſeſe dominis ibi venditent, cùm re vera ſtulti vecordesq; ſint, abundare.

Conſtat item nõ paucos prudentes maturoque iudicio decoratos, ruri deliteſcere, in aula verò perquam multos rudibus ingenijs, imbecillibusque cerebellis deformatos hærere. In aula item, quam multos eſſe, qui, licet munera, dignitates, honores, prærogatiuasq; conſecuti ſint, ruri tamen, vix decem duntaxat homines gubernare poſſint.

Quàm multi quęſo veniunt ex aula, qui, dum aliorum emendatores eſſe volunt, illimet ipſi, qui potius à villicis inſtituantur & corrigantur opus habeant! Proh Deum im-

immortalem, quàm multa dicuntur ab agricolis, quæ notatu dignissima sint, cùm plurima coram regibus interim proferantur, quæ, vt risibus & sibilis excipiantur, digniora sint! Quam multi sunt in aula, qui in precio & honore habentur, non quod honesti seduliq; sint in munere suo exequendo, sed quod magna polleant auctoritate. Quàm multi cõtrà sunt in agris, qui magis per fauoris, quàm sapientiæ diligentiæque defectum obliuioni traditi, tributisque onerati sunt.

Principes largiuntur & concedunt officia, ij vero qui gratia apud hos valent, introitum: natura, sanguinis nobilitatem: parentes, patrimonium: merita deinceps honorem: intelligentem vero nec non sapientem fieri, vnius Dei, non hominum munus est ac beneficium. Nam, si principes istis, quibus ipsi vellent, sapientiã communicare conferreque possent, illi profecto suimet ipsorum memores esse deberent: ideo quod alia nulla de causa, nisi quia nihil intelligant, pessum ire soleant.

Iam, id indecorum mihi esse videtur, quod nonnulli, qui nuper ex aula rus habitatum commigrarunt, omnia deridere soleant, nec omninò, quod suo palato sapiat

piat, reperiant. Interea ſi in ipſorummet vitam moresque nonnihil inquiras, reperies, quòd iſti ipſi de media nocte cubitum eunt, ad horam ſequentis diei decimam cubitu ſurgũt, & deinde ſe veſtiendo, crines calamiſtris inurẽdo, pileos in alterutram capitis partẽ iaciendo, ad meridiem vſq; in cubiculo moram nectũt tempusq; trahunt: Reſiduum verò diei confabulando terunt: ſic, vt plerique omnes de ſuis quas in aula amarint, vel de pugna Gallirana, in qua res miras ſcilicet deſignauerint, inter ſeſe garriant, ſeorſim verò, alius alijs ſe pugnæ Papianæ, cũ duce Antonio, vel Tunianæ, cum ipſomet Imperatore, vel Corrianæ denique cum Doria interfuiſſe, perſuadere conetur: qui magnus interim fuerit alicubi lenonum magiſter.

Nos ſuprà iuſſimus, vt dominus Mariſcus ſibi caueret, ne villicos irrideret, & tanquam ſtultos & obtuſos deſpiceret. Nam, ſi Cæſarea Maieſtas omnes vitulos & ignaros, qui ſunt in eius aula, inde vellet exigere: ipſum inibi ſolum duntaxat eſſe permanſurum, ego mihi modis omnibus perſuadeo. Affirmare igitur nõ veremur, quod aulici vitæ ſuæ formam profeſſionemque parum perpendant. Cum de pro-

de professione loquor, eam intelligi volo, quæ suam è tali religione, cuius isti rigidissimi sunt obseruatores, originem ducit, quæq; in eo spectatur, vt se diabolo complacituros, aulæ satisfacturos, mundum secuturos promittant, perpetuoque cogitabundos, tristes, suspiciosos, perpetuò importunos fore, perpetuò negociationes, exactiones, emptiones, venditiones, permutationes, lamentationes, peccata sectaturos, nunquam verò se emendaturos, spoliari, item honoribus priuari graduque deijci, sua propter æs alienum oppignerare, obtrectare, opprobria dominorum, furta vicinorum, iniurias cholericorum, illusiones populi, exprobrationes consanguineorum, postremoque amicorum suorum à se defectionem non ægrè se laturos polliceantur.

En, professioné & regulam, aulicis obseruandam, quam ego quidem non regulam vel ordinem, sed confusionem: non monasterium, sed infernum: & eam regulam profitentes, non fratres, sed prodigos: non pauperes eremitas, sed rerum mundanarum solertes indagatores apellârim. O miseriam! ô commiserationem! ô stuporem iudiciorum longè maximum!

Apollo

Apollo per populi Romani legatos oraculo consultus, in quónam sui cuiusq; regendi scientia cerneretur, in eo cerni respondebat, si quis vires suas sic exploratas haberet, vt omnia sua desideria in ordinem quasi redigere, rigidumq; suis appetitionibus frænum posset inijcere.

Aulicus, dum tam vacillanter & inconstanter appetit omnia, vt in appetendo nullo perseueret, si intra vnius anni spatium nullam dignitatem, nullumque officium consequatur; id non ignorantiæ propriæ, sed, secundum vesanā stultitiam, fortunæ tribuendum cogitabit, ideoque illam increpabit: horam deinde, qua primùm in aulam pedem intulit, velut execrandā condemnabit. Qui potius recordari deberet, aulam palmæ similem esse, & vt hęc radicem integro brachio longam priùs in terram defigit, quàm frondem, quæ duos solum digitos alta sit, extra terram propaget: sic in illa longissimum sæpe tempus prius inseruire, quàm quis ad honores atque dignitates promoueatur, oportere: cùm perseuerātia spem interea soletur. Deinde, si vera modo dicere velimus, certe fatebimur, si tres in aula reperiantur, qui plus quàm cōsequantur, promeriti

meriti ſint, trecentos contrà eſſe, qui meritis ſuis conſequantur maiora. O, quàm rariſſimè fortuna facit id, quod facere debebat! O quàm ſæpe iuuat illa potius audacem, quàm præditum virtute virum! Solet iſta ſcilicet hominum merita nõ rationis, at opinionis vlna metiri. Iſta facit, vt ſine igne vrat aqua, ſine chalybe ſcindat cultellus, ſine flamma luceat candela, ſine aqua molat molendinum. Cuius quidem confuſionis omnis, vna duntaxat cauſa eſt inconſtantia. Si arridet alicui, ei illudit. Si quis eam plorantem & eiulantem videt, ei melius eſſet, ad id videndum ę domo ſua nunquam prorſus egreſſum fuiſſe. Si quenquam eleuat, ideo facit, vt is è ſublimi præceps actus grauiore caſu ruat. Si aliquantulum diſſimulat, id eum in finem facit, vt furtim opprimat. Nullus ergo fortunę confidat, cùm tam variabilis iſta ſit, vt, quæ vel dato chirographo promiſſa facit, ea non præſtet.

Inter aulicos nec amicitiam, nec fidelitatem ſeruari: aulamq; moleſtia, inuidia, ſimultateq; plenam eſſe.

Cap. XV.

INter molestias aulicas omnium grauissimas, hæc est vna, quòd nullus in aula resideat, quin aut alijs odio sit, aut ipsemet alios odio habeat, quin persecutionem patiatur, vel ipsemet alios persequatur, quin irrideat alios, vel ipsemet ab alijs irrideatur. O te infelicem, qui in aula versari volens, per quam multos ibi sis animaduersurus, qui, cum caput suum in gratiam tuam denudare videntur, se tibi tuum prorsus abstulisse mallent: & tales, qui, cùm genu coram te flectunt, in funere tuo deferendo crus se sibi fregisse vellent. An non res est, omni commiseratione dignissima, quotidie simul esse, ridere, gaudere, sed immortales nihilominus inimicitias in animo fouere? An non ista dissimulatio nimis est magna, quando quis eum, quem in furcam raptari percuperet, adhuc venerari se fingit? & id totum quidem, tum propter ambitionem, tum propter spem nimis auidam de fortuna conceptam, tum propter ea, quòd amicitiam fideliter obseruatam, ad impetus hominũ vehementiores moderandũ valere, ignorat. Qualem quæso vel è vita, vel è fortuna suauitatem capere potest is, qui conuersans cum principibus, inter tot fures, tot

latrones, tot incantatores alióſque nefarios homines, traditum ſeſe venditumq́ue quotidie videt? Contrà vero, quanta quęſo felicitas eſt, habere quenquã, qui cum ſyncere ſeſe recreare poſſit, ſibi metuens à nemine? In aula iſta permulti ſunt, qui, cùm viri nobiles exiſtimari velint, vindictæ tamen adeò cupidi, maleuolentiæq́ue pleni ſint, vt nullis omninò beneficijs, nullis precibus adhibitis, à malo ſuo propoſito per quenquã reuocari ſeſe patiantur: adeo quidem, vt illis in proprijs etiam ſuis ædibus excitare bellum non diſpliceat, ſi ſaltem ex eorum, quibus infeſti ſunt, parietibus pacem valeant exterminare.

Itaque cùm ea, quæ diximus huc vſque, vera ſint omnia, nihil eſt profectò, quòd quiſquam ſe bonos amicos in aula nacturum, magnopere ſperare, multo verò minus, ſi quos inibi ſe nactum putet, ijs ſua tuto committere debeat. Quanto nanq; ſublimior aliquis eſt in aula, tanto plus habet ad metuendum cauſæ. Quod quidem tantam parit moleſtiam, vt perſæpe demirari ſoleam, quomodo quis tantum fortitudinis, vt eam toleret, animi verò, vt eam diſſimulet, habere poſſit. O, quàm fortunatus eſt villicus, qui mediocrem

mediocrium facultatum ſuarum ſolicitudinem ſuſcipit! O, quàm miſera, quamq; infelix eſt ipſius aulici vita! qui res vanas ſperare, res iniuſtas infinitaſque procurare non deſinit. Si cogitationes eius eſſent venti, deſideria eius, aquæ, in eius animo nauigare multo periculoſius eſſet, quàm in alto mari.

Aula quippe ſemper habet aliquod, neſcio, quid, quale & quomodo: Vnde fit, vt quamuis in ea perpetuæ conqueſtiones, perpetuæ perturbationes, perpetuus denique ſtomachus moueatur: nemini tamen indidem ſeſe recipiendi licẽtiam iſta vnquam concedat. Aula iugum eſt tam vehementer durum, vinculum, tam vehementer coarctatum, aratrum, tam vehementer arduum: vt ij, qui ſe triumphaturos inibi ſperant, primi ſint, qui laborare, nec non onera quæq; grauiſſima portare iubeantur. Iſti verò miſeri parumque circumſpecti, labores hos intolerabiles, ne in patria ſua alijs ſubijciantur, maioreque malè faciendi libertate perfruantur, exantlare nõ recuſant. Deus nouit, quanti illis eiuſmodi conſtet libertas, quæ propter momentaneam quandam voluptatem, continuam moleſtiam, ſeruitutemq; gignit.

gignit. Proprium nanque vitiosæ libertatis, aut (vt dicam verius) subiectionis istius, est, vt ab initio dulcis esse videatur, cùm finaliter, vbi videlicet aliquis per partes vitij qualitatem cœperit experiri, se totam rursus in amarorem commutasse deprehendatur. Nam, si cum mulieribus aulico sit agendum, oportet vt illis aduletur, illas obsequio sibi deuinciat, imploret denique. Quòd si pecunia deficiat, ipsi diabolo merx offertur euestigio. Si quis in aulam nouiter ingrediatur, ei mox àliqua domicella lue venerea infecta oculo signum dat, eum allicit, ei blanditur, eum deosculatur, quem simulatq; tenuiorem factum fuisse viderit, rus, vt ibi pastum quærat, ablegat.

Si comedendum sit aulico, comedet ille quidem sepenumero cum tali, qui vellet vt eum totum sine cõdimento iamdudum deuorasset. Si ludendũ sit aulico, æquè profectò futurus est infortunatus. Nam si vicerit, oportet vt de eo, quod lucratus est, aliquid impertiatur astantibus: si vincatur, illi ne quidem teruncius vnicus à quoquam restituetur. Neque garriendo & deridendo quicquam proficiet: quòd isti cauillatores aulici verbis qui-

dem iocos inchoare, ſed eoſdem dicendis iniurijs infligendiſque plagis conſummare conſuêrint. Quod vt in hiſce iam dictis aulæ vitijs, ſic in alijs conſimilibus aulico ſolet vſuuenire. Concludentes itaque dicamus, quod vniuerſa vita varijs & magnis affluat negotijs, & mundus vniuerſus, nihil omnino aulico, qui ſit euentilatus, aut ruſtico, qui ſit ocioſus, peius in ſe contineat.

Reſpublicæ aulæq; veteres, quanto recentioribus fuerint correctiores.

Cap. XVI.

REx Anchiſes ſuperbæ Troiæ demolitionem, per principes Græciæ factam, lamentabatur, regina Roſane maritum ſuum nomine Parium, cùm ab Alexandro illo Magno deuictus eſſet, miſerabatur, Hieremias reipublicæ Hieroſolymitanæ in captiuitatem redactæ ſtatum deplorabat, rex Dauides propter Abſolonis filij ſui mortem, cum illum Ioabus interfeciſſet, ſeſe macerabat, regina Cleopatra, cùm Marcus Antonius ei dilectiſſimus ab Auguſto imperatore ſuperatus eſſet, præ dolore animam ferè exhalabat. Conſul Marcus

cus Marcellus, vrbem Syracusanam, quam flammis consumi vidisset, deflebat, Salustius Romam malè gubernatam, Iacobus Patriarcha, filium suum Iosephũ, rex Demetrius bonum suum patrẽ Antigonum, cum illum in pugna Marathoniana prostratum reperisset, lugebat. Quod ad nos attinet, non alienum foret, si tot tantosq; viros imitati, calamitates seculi nostri deploraremus, cùm in eo res adeò mirandas euenire videamus, vt auctores antiquiores, quantumuis curiosi, nihil eiusmodi scribant, vel, vlli se tale quippiam vidisse recordentur.

Illud quidem verum est, quòd temporis illius superioris historiographi, quicquid volebant, id quoque conscribebant: Hac verò tempestate, quod res est, affirmare duntaxat, est religio, tantũ abest vt ad posteritatẽ literis consignatum propagare liceat. Philosophus Ariminius de Ægypti scripsit abundantia, Demophon, de Arabiæ fertilitate, Thucidides, de Tyri thesauris, Asclepius, de Europæ fodinis, Dodrillus, de Græciæ laudibus, Leonidas, de Thebarum triumphis, Eumenides de gubernatione Athenarum, Ctesiphontes de ritu qui in aula principibusq;

Sicioniorum domibus & familijs obseruaretur, Pitheas, de taciturnitatis Socraticorum discipulorũ fructu, Apollonius, de continentia & abstinentia, quæ in illius diuini Platonis Academia celebraretur, Myronides, de continuo exercitio, minimaq; domus Hiarchæ requiete, Aulus Gellius, de eo quòd Fauorini, sui quõdam præceptoris, discipuli perparum comedere dormireq; solerent, Plutarchus, de Sapientibus Græciæ, castis autem Romæ fœminis, Diodorus, de eo, quòd Insularum Balearium ciues thesauros suos in mare proijcerent, metuentes nimirum, ne vel à peregrinis auaritia commotis bello premerentur, vel, ne illi ipsi in diuersas partes & factiones inter se discerperentur.

Nunc omnibus istis, quæ commemorata sunt hactenus, auditis, ego quidem percupio, vt bonus lector mihi declarare dignetur, quidnã esse putet, quod me de seculo nostro præsenti literis commendare deceat. Si de bonitate veritateque scribere voluerimus, mendaces erimus. Si de abundantia, per mortales ipsos, qui nihil aliud quam fames & auaritia videntur esse, vanitatis conuicti fuerimus. Iam quo-

quomodo seculum nostrum de ijs hominibus, qui vel armorum gerendorum audaces, vel literarum periti sint, laudauerimus? cùm quilibet ingenium suum ad depeculandum simplicioresq; supplantandum conuertant. Quomodo laudauerimus illud de ꝓsperitate & sanitate? Cùm pestis, atque Gallica lues, morbi sint adeo familiares, vt ipsis etiam domesticis notiores videri queant. Quomodo laudauerimus illud de continentia & abstinentia? Cùm vix annorum quinquaginta spatio vnam duntaxat quadragesimam homines ieiunare soleant. Quomodo laudauerimus illud de ocij paucitate, negocij verò & exercitij pluralitate? cùm ij qui semper & ociantur & furãtur, eorum numerum qui negociantur fideléſque sunt, multis omninò modis excedant. Quomodo laudauerimus illud de sobrietate? cùm venter hodierno tẽpore mortalium Deus existat. Quomodo laudauerimus illud de fœminarum castitate & fidelitate? cùm adulterio nihil in mũdo sit frequentius. Quomodo laudauerimus illud de hominibus suo contentis? cùm nõ solum aurum & argentũ in fodinis inuestigent, verumetiã istius quærendi causa ad ipsos

Indos vſq; proficiſcantur. Profectò ſic vt à vinea planè congelata, ab arbore planè exiccata, à fructu plane immaturo, ab aqua planè commota, à pane peſſimè cocto, ab auro planè fallaci: ſic & ab hoc ſeculo tam ſuſpitioſo, quid, quęſo, nos aliud præter malum poſſumus expectare?

Si legamus id, quod de aulis principum Aſſyriæ, Perſiæ, Macedoniæ, Græciæ, Romæque ſcriptum eſt, cumq; noſtris deinde conferamus, tam malos vitioſóſq; mores in noſtri ſeculi rebuſpublicis inueniemus, vt eiuſmodi ne quidē veteres excogitare, nō dicam perpetrare auſos fuiſſe cuiuis innoteſcat. Felicibus illis pręteritis tēporibus, aureiſque ſeculis, ille, qui malè duntaxat audiebat, hominum bonorum conuentus adire non audebat: ſed hodie (prò dolor) diſſolutio corruptioq; morū adeò cōmunis eſt, vt malum eſſe, perparui momenti res exiſtimetur, ſi quis non omnem planè pudorem amiſerit.

Aulici mihi nequaquam inficiabuntur, quòd per id tempus, quo regem ſurrecturum præſtolātur, alij alijs omnia quæ nocte præterita commiſerint, enarrent: quomodo nempe colluſerint, quomodo iurauerint; quomodo mulieres inibi congregatæ

gregatæ riſerint, quæ bellæ beneque comptæ fuerint: ſic vt illas quoque quas adulterarunt, interdū nominare non vereantur. Quippe, quemadmodū mundus iam nouus eſt: ſic & nouæ ſunt inuentiones, ludi noui, veſtitus nouus, nouitatis affectatrix oratio, nouusque adeo fallendi modus. Quouis anno, quouis mēſe, quinimo, quouis die, quid? quauis hora mortalium vitia dilatari nec non amplificari, vnam verò virtutem extenuari videre licet: ideò quòd in aula virtus aduerſarios habeat millenos, vitij verò fautorum numerus inſuper ibidem ſit infinitus.

Si conſuetudo quædam laudabilis in aulam fortaſſis introduci debeat, illa tam citò adduci nō poteſt, quàm indidem rurſus eijciatur: cùm contra vitium non tam citò ſenſu percipiatur, quàm recipiatur & foueatur.

Legiſlator Lycurgus ſuis legibus expreſſiſſimè iubebat, ne in ſuā rempublicā peregrini commearent, ſui vero ciues in alienam intrarent: & id eam, vt ipſe dicebat, ob cauſam, ne propter eorum commercium vitijs barbariſque moribus inficerentur. Eo tempore quò M. Portius conſulatu fungebatur, excellens quidam

Muſicus & ita omnibus inſtrumentis ludendi peritus, è Græcia Romam veniebat, qui, quod in cithara ſua chordis vna plus quàm conſuetudine receptum eſſet, vteretur, cithara totius populi conſenſu combuſta, proſcriptus eſt. Noſtrum ſeculum Muſicam facilè toleraret, neq; de eo, an cithara chordas nimis multas habere videretur, magnopere laboraret, ſi viros ſaltem ſatis cordatos iudicioque maturo præditos habere poſſet. Plutarchus Græcum quendam Sacerdotem, qui deæ Berecinthiæ modo, quàm conſuetudo ferret, alio ſacrificaſſet, in campo Martio lapidibus obrui ſe quondam vidiſſe ſcribit. Suetonius inter virgines veſtales ſpatio quadringentorum ſexaginta quatuor annorum, quibus earum virginũ templum ſtetiſſet, præter quatuor, Domitiã, Rheã, Albinam & Corneliam, quæ publicè ſpectantibus omnibus viuæ ſint conſepultæ, nullas alias flagitijs obnoxias fuiſſe repertas, ait. Si quis hodie catalogum quendam ſimilium, ſimili pœna plectẽdarum faceret; vnde, quæſo, carnificum numerus ad id perficiendum ſufficiens ſuppeteret?

Publius Trebellius ab Aureliano Quinto Imperatore, bonum quẽdam amicum,

Rogerium nomine, officio dictaturæ priuatum fuisse, scriptum reliquit, quòd nimirũ in nuptijs vicinæ suæ Postoriæ Auiæ saltasset: affirmante Imperatore: bono iudici grauitatem suam eousque, vt sese rebus adeò vilibus atque popularibus immisceat, abijcere non conuenire. Nos interim, quicquid Imperator ille fecerit, seculi nostri iudicibus, vt in choreis quantum velint, pedes cõmoueant, licentiam facilè damus, si saltem manus habeant cõtinentes. Pauperis enim litigatoris interest perparum, siue iudex choreas ducat siue saltet, si quidem litiganti iustitiam sine mora administraret: id quod accidere per rarò cùm soleat, optandum esset, Imperatorem Domitianum è mortuis excitari, qui, quemadmodum Suetonius asserit, edicebat, vt, quicunque litem vllam vltra annum vnum prorogaret, is ex vrbe Roma eiectus in exilium perpetuum relegaretur. Quæ quidem lex si ad nostra vsque tempora fuisset obseruata, Romę nec non alijs in locis maior proscriptorum, quàm ciuium certè numerus esset futurus.

Multos illustres viros aulas aliasq́; magnas ciuitates reliquisse; domumq́; suam non tam necessitate quàm voluntate reuertisse.

Mar-

Cap. XVII.

MArcus Craſſus Romanorũ dux propterea quod & in bello fortis, & ad negotia domeſtica pertractanda ſapiens eſſet, concelebratus valdè fuit. Hic eſt ille Craſſus, qui partes Syllæ conſulis contra Marium Iuliumque Cæſarem, qui poſtea dictator fuit, ſequebatur. Cùm autem cõtigiſſet aliquando, vt Cæſar ille, aduerſa maris fortuna in pyratarum manus incidiſſet, ab ijſq; captiuus detineretur, duobus aut tribus eorum, qui eum ligatum tenebant, clara voce, Caſus hic meus, inquit, mihi valde grauis eſt, non ob id quidem, quòd à vobis (cùm talis belli ſit exitus & fortuna) ſim captus, ſed ob gaudium, quo Craſſus inimicus iſte meus, vbi hæc de me noua auditione famaque perceperit, afficietur. Præceptor illius erat quidam Philoſophus, Alexandrius appellatus, qui illum veluti pater educabat, conſilium veluti bonus amicus communicabat, vtque fidus magiſter illũ informabat: & id quidem annorum duo deuiginti ſpatio: quibus iam decurſis, domum ſuã reuertendi veniam ab ipſo petebat: quam cum impetrauiſſet, iamque diſcedere ſe-

cum

eum cõstituisset: ego, Crasse mi, ait, aliam mercedem nullam, aliudq; præmium planè nullum pro molestijs & meis in erudiendo te laboribus abs te peto, nisi vt hoc mihi præstes beneficium, ne vnquam ad hanc aulam reuertar, & ne, quando me digressum videris, vnquam de tuis ad me negotijs perscribas: quòd aulæ tantopere me tædeat, vt istam non modò relinquere, verumetiam prorsus obliuisci velim.

Dionysius Syracusanus, quantumlibet immanis esset tyrannus, eo tamen nõ obstante & amicus Philosophorũ, & sapientum maximus admirator erat. Aiebat ille sapientes Græciæ loquentes sese libenter audire, sed eorum verbis fidem non adhibere; quod illorum instituta præter verba effectu carentia nihil essent. Ex omnium sapientissimis Græciæ viris octo veniebant aliquando Syracusas, vrbem, in qua Dionysius antè nominatus habitabat, Plato nimirum, Chilo, Demophon, Diogenes, Myrtho, Pillades, & Surranus, qui sese Dionysij negotijs plus immiscebant, quam ille ad illorum doctrinam attenderet. Diogenes annos vndecim apud illum commorabatur, quibus elapsis in patriam suam reuertebatur. Ibi cum degeret, herbasq;

basq́; nonnullas, quibus paulo poſt ille veſceretur, elueret, aliusq́ue Philoſophus quidam eius irridendi gratia, ſi tu Dionyſio ſeruire nõ deſtitiſſes, tibi iam nõ opus eſſet, vt herbas pro te lauares, obijceret: tu quoque, reſpondebat ille, ſi lauandis & comedendis herbis contentus fuiſſes, ad hanc vſq; horam in aula Dionyſij nequaquam permanſiſſes.

Cato Cenſorius, vñde reliqui Catones ſuum nomen adepti ſunt, & qui inter Romanos omnium ſapientiſſimus eſt numeratus, & quem ſexaginta nec non octo annorum ſpatio ne quidem ſemel ridentem, vel aliud quippiam, grauitati ſuæ contrarium & repugnans agentem quiſquam viderat, quem deinde Plutarchus in loquendo prudentem, in conuerſando mitem, item in caſtigando ſeuerum, in munerando liberalem, in comedendo frugalem, in pollicẽdo ſtabilem, & in exequenda iuſtitia inexorabilem fuiſſe narrat: ille ſimiliter aulam Romanam, cùm iam nunc annum quinquageſimum quintum natus eſſet, deſerebat, & in villam quandam perexiguam non procul à Picenis (vbi nunc ſunt Puteoli) ſeſe cõferebat, inibiq́; reliquum vitæ ſuæ tempus, libris pro ſocijs

cijs vtendo, tranquillè cõſumebat: cumq́; ſingulari ſeſe modo recreare vellet, bis aut ter de die rus vineasque ſpectatum, eaſdemq́; nonnunquam laboratum prodibat. Cum is die quodam ea de cauſa foris eſſet, ianuæ illius domunculæ carbone quidam ſic inſcribebat: *O fœlix Cato, tu ſolus ſcis viuere*, quaſi diceret, ô beate Cato, tu ſolus bene beateque viuendi rationem elegiſti.

Lucullus & conſul, & Romanorum dux ille fortiſſimus, bello contra Parthos ſuſcepto, annosq́; ſedecim cõtinuato finem imponens, magnos vrbi Romanæ honores, nomen immortale ſibi, magnas autem familiæ ſuę diuitias acquirebat. Hunc aiunt nonnulli, ex omnibus omnino Romanorum ducibus extitiſſe ſolum, qui ſenio confectus, ijs bonis, quæ lucratus in bello fuiſſet, pacatè perfrueretur. Iſte Lucullus cum reuerſus ex Aſia rempublicam per eos, qui Syllanæ contra Marium factionis eſſent, perturbatam videret, Romam relinquere, domumq́; in mari prope Neapolin in quodam loco, qui nunc arx de Lobo vocatur, exſtruere ſecũ conſtituebat. Id quod faciens, inibi ſumma in tranquillitate annos duodeuiginti cõ-

moratus

moratus eſt. Domus illius à multis, & ijs quidem præcipuè ducibus, qui in Aſiam tendebant, à legatis item qui Roma veniebant, frequentabatur. quos omnes & humaniter & liberaliter ille excipiebat. Idem, cum veſpere quodam ſerui illius cænam ſolito more viliorem apparaſſent, ſeque apud illum, quòd hoſpites nullos extraneos vna cænaturos haberet, excuſaſſent, eſto, inquit, nullos hoſpites hîc mecum futuros, vos verò nonne ſciebatis Lucullum cum Lucullo cænare ſolere? Plutarchus de excercitijs, quibus ex eo tempore, quo in locum prænominatum ille ſeſe recepiſſet fuerit occupatus, verba faciens, eum venationibus & aucupijs, inprimis autem librorum bibliothecæ ſuæ lectione, iugiq; diſputatione delectatum fuiſſe dicit.

Ælius Spartianus ait, Diocletianum, cùm annos duodeuiginti regnauiſſet, imperio ſeſe abdicaſſe, reliquumq; vitæ ſuæ tempus in ocio paceq; tranſigendi cauſa rus ſeſe recepiſſe, dicentem, aulæ conditionem periculoſam delinquendi, villæq; pacatam ſuſcipiendi tempus appetijſſe. Duobus ab eo tempore, quo regnum deſeruiſſet, elapſis annis, ad eum Romani

ſolennem

ſolennem quandam legationem mittebant, ſumma animorum contentione petentes, vt ſuã Remp. reſpiceret tamen, ad eandemq́; reuerti ne dedignaretur, illiq́; promittebant, quòd, quamdiu viuerent, nullus alius præter illum, nomen imperatoris eſſet impetraturus, Cum legatio ad eius vſque domum perueniſſet, eũ in hortulo quodam lactucis extirpandis & cepis ibidem plantandis intentum reperiebat. Qui poſteà quàm audiuiſſet id, quod iſta legatio flagitatam veniſſet, nónne nobis, ait, amici mei melius eſſe videtur, vt is, qui lactucas has plantauit, irrigauit, ſuſtentauit denique, eiſdem cùm gaudio veſcatur, quam ad rempublicam ſeditionibus refertam reuertatur? Expertus ego ſum, quid in aula ſit imperare, quid item in agro laborare. Sinite me quæſo hîc in pace. Ego namque multis omninò modis hic è manuum mearum labore vitam degere, quàm magna cum ſolicitudine imperare malo. Quis ex hoc imperatorio exemplo, quanto felicior agricola ſit aliquo principe, colligere non poſſit?

Cleo, nec non Pericles, in adminiſtranda republica Soloni, qui vir doctus habebatur, & à Græcis propter leges quas

Athenis tulisset, pro semideo reputabatur, succedebant illustres illi duo gubernatores, vehementer amabantur. Pericles quidem (veluti Plutarchus narrat) ideò, quòd intra triginta sex annos, quos administrandis vrbis negotijs præfuisset, eum nunquam quisquam vel in alienam domum intrare, vel cum plebe in publico loco considere vidisset, hunc amorem sibi conciliauit. Is annum agens sexagesimum Athenis discedebat, inque paruam quandam villam sese conferebat: vbi reliquum vitæ suæ agriculturæ studendo tædiumque tali ratione fallendo peregit. Domi suæ paruam quandam nec non angustam portam habebat, super qua sic scribi iusserat:

Inueni portum, spes & fortuna valete:

volens ita dicere: Cùm iam (nempè post vanitatis notitiam) portum requietis inuenerim, valeat spes & ipsa fortuna. Hoc exemplum satis ostendit, quòd nullus aulicus affirmare possit, antè securam vitam sese transigere, quàm priuatim viuere inceperit.

Lucius Seneca (qui Neronem sextum vrbis Romæ Imperatorem in bonis moribus dirigebat, & in bonis literis instruebat,

ſtruebat, & ita apud eum viginti quatuor annos commorabatur, magniſque negotijs publicè priuatimque gerendis, ob ingenium rerumque experientiam præficiebatur) cùm iam conſenuiſſet, eumque perpetui negotiorum quaſi conflictus tęderet, aulæ valedicto, in ſuum quoddam prædium prope Nolam Campaniæ ſeſe recipiebat, inibique longum tempus adhuc viuebat. Eius enim rei teſtes libri de officijs, de ira, de bono viro, de aduerſa fortuna, quos eo tempore conſcripſit, locupletes eſſe poſſunt. Eum tandem aliquando (fortuna nec non hominum malitia ſuum facientibus officiũ) Nero proprius eiuſce diſcipulus è medio tolli mandabat: non ideò quidem, quòd crimen aliquod morte dignum commiſiſſet, aliúdve quippiam, quod honeſtum virum dedeceret, vnquam deſignauiſſet: ſed ideò, quòd impudica Domitia ei malè vellet.

Notabis igitur hîc, ingenue lector, quòd fortuna quandoque non minus illos, qui aula relicta domum reuerſi ſunt, quàm ipſoſmet aulicos perſequatur. Scipio Aphricanus Romæ tanti fuit habitus, vt cùm viginti duos an-

nos in Aſia, Aphrica, Hiſpania, ſemper ab hoſte victoriam reportando, bellum geſſiſſet, nihil tamen vllo tempore, quod illi iure poſſet exprobari, commiſiſſe iudicaretur. Is Aphricam ſubegit: Carthaginem expugnauit: Annibalem ſuperauit: Romam clade Cannenſi afflictam inſtaurauit. Cum annos quinquaginta duos vixiſſet, è curia Romana diſcedens, in paruam quandam villam inter Puteolos & Capuam ſeſe recipiebat. vbi vita ſolitaria tantoperè delectatus eſt, vt intra annos vndecim, quos inibi viuebat, ne ſemel quidem Romam Capuamúe ſit ingreſſus.

De diuino Platone, qui natus eſſet Lycaoniæ: educatus in Ægypto, literis informatus Athenis, memoriæ proditũ legimus, quòd legatis Cyrenijs, ab ipſò leges ſui benè ſecureq; regendi petentibus, difficilimum eſſe, homines ampliſſima fortuna ditatos, legibus continere, dixerit. Vix, inquit, *fieri poteſt, vt diuites legum rigori ſubÿciantur*. Ille Plato, (vt ad propoſitum propiùs accedamus) importunitatis amicorum ſuorum, populique clamoris impatiens in villam quandam duobus miliaribus Athenis diſtantem ruſticatum

commi-

commigrabat: vbi bonus ille ſenex, cùm annos quatuordecim plenos docendo ſcribendoq́; conſumpſiſſet, vitam ſuam, ob id ſanè felicem, finiebat. Ex eo tempore, veteres illam villam in demortui memoriam vocabant Academiam, quod latinis eſt ſchola.

Eorum quæ diximus, hæc eſt ſumma: quòd illuſtres illi principes, hominesq́; ſapientes antè commemorati, monarchias, regna, ciuitates, magnaſque diuitias deſeruerint, rusque ſeſe contulerint, vt honeſtam paupertatem, tranquillamque vitam ſibi quęrerent. Id quod nõ eò loquor, vt illorum quenquam, quia pauper, inhonoratus, vel excommunicatus ibi fuerit, ideò aulam reliquiſſe, ſignificem: cũ quilibet illorum id, quod fecerunt, liberrimè facientes, prius vitæ ſuæ mederi, quã morerentur, elaborarint.

Auctor, non ſine magnis rationibus, de annis, quos in aula perdiderit, hîc conqueritur.

Cap. XVIII.

EGomet ipſe vitæ meæ rationem quæram ex memetipſo, eum ſcilicet in fi-

nem, vt annos cum laboribus, labores cum annis conferente me, quamdiu viuere desierim, morique inceperim, videant atque cognoscant omnes. Vita mea, mi lector, non vita, sed mors quædam prolixa fuit. Dies mei lusus aliquis sæpè redintegrandus: anni mei, somnium permolestum: voluptates meæ, scorpiones: iuuentus mea, quidam somnus euanescens fuerunt. Prosperitas mea, prosperitas reuera non fuit: sed, proprijssimè loquendo, arx quasi picta quædam fuit, & collectus è notho metallo thesaurus.

Cùm valdè iuuenis adhuc essem, in aulam me conferebam, variasque fortunæ vices, officiorum diuersitates, aliasq; mutationes, inter ipsos etiam principes, quibus inseruij, videbam. Per mare terramque proficisci quantus labor, quantaque molestia sit, experiebar. Id quanquam mihi melius quàm merebar, recõpensaretur, verum tamen est, quòd, cùm gratiosus aliquandiu fuissem, è gratia me rursus excidisse, viderim. Varios fortunæ casus experiebar: habebam in aula & amicos & inimicos: audiebam falsas accusationes: quandoque lætus, quando-

que triſtis eram: quandoque diues, quandoque pauper: extollebar quandoque, quandoque rurſus ex improuiſo deprimebar. Quid? aula mihi larua quædam fuit, vbi operam & oleum perdidi. Quid deinde? quid ô anime mi pro tam longo ſeruitio conſecutus es? Salarium nempè quod abſtuli, caput eſt planè canum: pedes podagroſi: os edentatum: renes calculoſi: patrimonium pignori datum: caput cogitationibus grauatum: anima peccatis inquinata. Reſtant adhuc (eſt enim dicendum, quod res eſt) alia: quòd nimirũ corpore ſim planè defatigato: iudicio planè ſtupido: quòd tempus omne meum mihi perierit: quòd melior ætatis meæ pars præterierit: &, quod peius eſt, quòd nihil in mundo mihi ſapiat amplius, & memetipſo minus, quàm malis iſtis omnibus ſim contentus.

De vitæ alterationibus, fortunæque mutationibus quid quæſo dicam? In aulã innocens ingreſſus ſum, malitioſus egreſſus ſum. Abij eò verax, redij mendax: abij eò humilis, redij arrogans: abij eò ſobrius, redij helluo, abij eò humanus, redij talis, vt mecum nemo conuerſari poſſit. Vt

verbo dicam quod ſentio, me totum in aula corrumpebam. Huius autem rei culpam me nequaquam in meos præceptores transferre poſſe, fateor. Sic enim vitia ſunt, vt ſine præceptore facillimè diſcantur: at ſine caſtigatore nequaquam dediſcantur. O miſerabilem me! qui viuens in aula, de meis facultatibus rationem inierim, non ideò quidem, vt indigentib. aliquid impertirem: ſed, vt, an diminuerentur nec ne, ſcirem: qui de honore meo rationem inierim, vt eum facerem ampliorem, non autem meliorem: de tempore verò, vt mihi diuitias, at non virtutem cõpararem: qui cũ Camerario ſeu Quæſtore rationem inierim, vt quãtum mihi deberetur intelligerem, nõ autem cum egeno, vt, an quid eum iuuare poſſem, nec ne, perſpicerem: qui cum ſeruis meis rationem inierim, vt, quomodo illi mihi ſeruirent, non autem, quomodo ſe gererent, intelligerem: qui de vita mea rationem inierim, ideò magis, vt illam conſeruarem, quàm emendarem. En, amice lector, rationem meam: en calculum meum: en arithmeticam præpoſteram.

Pergamus vlterius exercitiaque mea videamus. Nullum plane tempus in aula

per-

peregi, quo non aliquem, cui malè vellem, reperirem: nullum, quo gradiens in palatio fenestram quandam ad contemplandum, & aulicum quendam, qui mihi occasionem prębęret ad murmurandum, non inuenirem. Nunquam principum quenquam conueniebam, quin de quopiam responso malè contentus ab eo discederem. Nunquam dormitum concedebam, quin haberem de quo mihi conquerendum persuaderem. Nunquam expergefiebam, quin suspirarem. Nunquam domi eram, quin & hoc displiceret, nec vllus alius locus vnquam fuit oblatus, qui satis arrideret. Cùm boni quicquam facere me velle mecum constituebam, nimij sumptus, contrarium suadebant. Cùm studijs incumbere volebam, socij me superueniebant. Cùm horam duntaxat vnam ad ocio cuidam honesto impendendum liberè mihi sumere cupiebam, alia negocia me impediebant. Cùm autem relinquere me velle constituebam, nomina me atque æs alienum & auaritia detinebant. Cùm me aliquò vel vnam horam abdebam, cogitationes meæ me veluti martyrio quodam afficiebant. Quid multa? Nullum mihi tempus erat, quò non

plus in animo perturbationum ſentirem, quàm crumena mea nummorum contineret: quamuis hęc omnia cum ſequentibus collata mihi ferè nihil eſſe videantur. Nam, quotidie mihi paribus indignabar, me ſuperioribus adulabar, me minores non miſerabar. Perpaucos & certos aliquos amãdos, reliquos verò cunctos maleuolentia inſectandos eſſe mihi perſuadebam. In omnibus aliquid, quod reprehenſione dignum videretur, inueniebam: ſed contra me nullum quidem verbulum proferri patienter audiebam.

O, quàm ſæpe meæ cogitationes adeò fuerunt euagatæ, vt cibum in os ingeſtum obliuiſcerer, mecumq́; ſolus magna voce, velut omni ſenſu deſtitutus, aliquid eloquerer! Quàm ſæpè mihi contigit, vt, exiens è Senatu fatigatus, aut è palatio iratus, neq; ſeruos meos audire, neq; eos qui negociorum apud me gerendorum gratia miſſi aderant, expedire voluerim! Quàm ſępe me vidi ſic omnia faſtidientẽ fercula, vt quid manducare vellem, ſcire non poſſem, tametſi mihi permulta quidem ſuppeditarentur! Sic iræ meæ, perturbationibuſq́; moderari quoq; nõ poteram, quantumuis eſſent qui me conſolarentur. Bone De-

ne Deus, quã ſæpe ad aulam deſerendum, & in aliquã ſolitudinem cõmigrandum, & ſic eremiticam vitam profitendum me ſtimulauit inuidia! ideò ſcilicet, ꝙ aliquos à rege promoueri, me verò quodãmodo deſperantem apud ipſum in ignoratione perpetua verſari viderem. Prætereà, ꝙ omnium moleſtiarũ mearum complementum videri poſſit, quotidie de negocijs aulicis aliquid noui perueſtigandi cauſa pererrabã, quotidie quid mihi poſſet euenire, cogitabã, quotidie, quid quis de alio cõmemoraret, auſcultabã, quotidie hinc inde curſitabã, explorans omnia, auſcultans omnia: & omnibus bene conſideratis, ſecundum rationem à me ſubductam, nihil deprehẽdebam reliquum, niſi quòd me in magna captiuitate triſtitiaq; damnationi addicere.

Pergamus vlterius. Cum diuitijs abundabã, vnuſquiſq; deuorare me cupiebat, cum paupertate laborabã, nemo ſuccurrebat: amici mei importuni me diuexabant: inimici mihi mortẽ cogitabant, multiloquium aures mihi obtundebat: taciturnitas obdormire me faciebat: ſolitudo me triſtem reddebat: ſodalitium nimis magnum me grauabat: exercitium nimis immode-

moderatum me defatigabat, & ocium me condemnabat. Quid multa? Ego in aula tantopere macerabar & excruciabar, vt, quemadmodum mihi mortem precari non auderem: ita quoque vitam diutius prolongari non desiderarem.

Quibus virtutibus auctor in aula fuerit exutus, & quibus in contrariam partem malis moribus ibidem sit imbutus, exponit.

Cap. XIX.

VErum quid? fortuna mea præteribat, amici mei moriebantur, vires meæ debilitabantur, vita mea declinabat, priores mei saltus me deficiebant. O si semel omnia prorsus absoluta peractaque metu fuissent! Id enim multo longeque mihi præstitisset. Omnibus autem benè perpensis & æqua lance ponderatis, imprimis equidem de perfidioso meo corde, quòd nunquam res vanas desiderare, & de lingua, quæ verba, quibus alij detraheretur, nunquam desinebat disseminare, quæror.

Amice Lector, ne mihi succenseas quęso, si

ſo, ſi quantum, poſtquam ab aula receſſi ab eo qui nunc temporis eſſem, cùm eò me primùm cõferrem, diſcrepârim, paucis dicam. Primò, cùm me in Labyrinthum Chimeræ iſtius aulicæ præcipitarem, religioſus, benè moratus, meticuloſus eram: vbi eò me contuliſſem, mox improbus, ocioſus, diſſolutus, deque animi ſalute procuranda non admodũ ſolicitus eſſe diſcebam. Iuuenis & corpore benè diſpoſitus in aulam me cõferebam, cùm ibi eſſem, auditu ſurdus, viſu luſcus, inceſſu claudus, tactu chiragricus: ad laborãdum debilis, canus, ſenex, ambitioſuſq; fiebam, & id adeò quidem, vt præ nimia animi inconſtantia, vbi pedem figere, fundamentumque vellem ponere, prorſus ignorarem. Animus meus erat adeò deprauatus, vt ab omnibus omninò negocijs immunis eſſe cuperet, cùm nihilominus, quocunq; ſe verteret, periculi cruciatuſq; inueniret affatim.

Conſtituebam aliquoties aulam me derelicturum, ſed eius me tantopere pœnitebat eueſtigio, vt poſtero die magis in aula quã Miſſa adeunda cogitationes meæ eſſent occupatæ. Conſtituebam ex hoſpitio me pedem non emiſſurum, mox deinde diſcur-

discursare me oportebat. Constituebam inuidiæ me locum non amplius esse daturum, sed affectus animi sese tum primum omnium maximè augebant: Sic, vt omnia mea sancta desideria redderētur inutilia, aliudq́; nihil agerem, nisi vt temerè *multa* mecum constituerē facienda quorū pòst exequerer omnino nullum. En tibi, quomodo quasi vento nec non friuolis, vt alij quidē præter me multi, imaginationibus vsq; vixerim. Memini quidem adhuc, aliquoties me solū in aula spaciantem, alia re nulla delectatum fuisse quàm, ꝙ Regem, Principésq; me gubernare mihi persuaderem. Item, ꝙ in nobili nec non antiqua familia natus, rerū cognitione reliquos excellerem, quòd gratiosus essem: sicq́; ab alijs omnibus amarer, quòd cautus in consilio dando, moderatus in loquendo, elegans in scribendo, prudens in seruiendo & omnibus acceptus essem. At, cum paulò pòst ex isto meo fuco veluti somnio quodam excitatus, pedes meos contemplarer, deauratas illas animi mei cogitationes esse falsas, atq; in alijs potius veram & expressam formam inesse, eius quod de me per somnium quasi depictum videram, facilè perspiciebam.

In

In id, vt ab omnibus ſanctus, doctus, humanus, meo contentus, bonoque zelo præditus æſtimarer, omnibus omninò modis incumbebam: cum mea voluntas ex altera parte nihil eſſet aliud, niſi maliciæ quidam gurges, & quaſi vaſtum quoddam prauarũ cogitationum mare. Hic error veluti mihi, ſic alijs omnibus aularum ſectatoribus accidit, quod ſtultam libertatem & honorem res inter ſeipſas incõpatibiles (cùm ſc. inordinata voluntas virtuti contraria ſit) coniungere velint atq; copulare. Ad me verò quod attinet, amice lector, gratiæ ſint Domino, noſtro Seruatori; quòd affectiones animi deprauatas aliquatenus eſſe mortuas intelligam. Nam, cùm adhuc inſeruirem, deſiderare ſolebam, vt aula ſæpius aliorſum transferretur: iam verò ſiue è mea domo prodeam, ſiue non, perparum ſanè curo. Optabam res nouas audire, de quibus iam ne cogitare quidem ſoleo. Sine ſodalibus eſſe non poteram, ſed iam planè ſolus eſſe malo. Improbis, mendacibus, & impoſtoribus audiendis atque videndis me delectabam, ſed iam profectò vel centies mori me mallem. Venandò, piſcando, bombarda ludendo me recreabam:

bam: ſed iam nihil aliud mecum cogito, niſi vt tēpus, quod inutiliter mihi perijt, deplorem, temporis illius, quo me Cæſar è conuentu & cœnobio quodā ſecum abduxit recordatus. In eo enim ab ineunte ætate magna cum ſeueritate nutritus & educatus, quidnam mundus eſſet, ignorabam, meiſque ſolum deuotionibus & diſciplinis occupatus, literis incumbebam, de media nocte ſurgebam, ægrotantes conſolans erigebam, Euangelium, alioſque libros bonis inſtitutis abundantes legebam. Quid multa? Quilibet, vt in virum bonum euaderem, me iuuabat, & à malo perpetrando reuocabat. Si boni quid agerem, laudabar, ſi mali quid, increpabar: Si triſtarer, vnuſquiſq; me conſolaturus viſitabat: Si ad iram prouocarer, me placabant: Si tentarer, pro me Deum rogabant.

O, quàm magnam habeam occaſionem me magis ob id quòd requietem & tranquillitatem religionis neglexerim, contriſtandi, quàm de epiſcopali dignitate, ad quam poſt euehebar, lætandi! Nam velut in religione portus eſt omnis boni, ſic in epiſcopali ſtatu, in cuius dignitate conſtituebar, eſt ipſum quaſi mare qua-

uis

rei impenſo, fortunaq; non conſiderata meliores meos annos exegerim. Quòd cum ita ſit, admoneo lectorem, vt, ſi viuat in aula, exemplo meo, vel melius ac ego feci, facere diſcat, vel eandem citius ac ego feci, deſerat. Id ſi faciet, vt hominem ſapientem, bonoque conſilio nitentem, viuere ſeſe velle, ſecum deliberaſſe, declarabit.

Auctor ſumma quadam eloquentia mundo Vale dicit.

Cap. XX.

VAle Mundus, ideò quòd tibi mortalium nemo confidere ſecurè poſſit, propterea quòd in domo tua, ô mũdus, præterijt id, quod præterijt, quòd præſens eſt, facilimè labatur, quod adhuc eſt futurum, appropinquat tardiſſimè, ꝙ omnium maximè viget, id laxatur, quod omnium maximè riget, id rũpitur, quod eſt omnium maximè perpetuum, id deficit, ita quidem, vt è cẽtenis annis, quod tempus ad viuendum mortalibus conceſſum putari poteſt omnium longiſſimum, ſæpenumerò ne quidem vnum

m duntа-

duntaxat annum vitam nos agere permittas.

Vale mundus, ideò quòd accipis & nihil reddis, tristicia afficis, & non consolaris, furaris, & non restituis, pacẽ turbas, & non reparas, prius accusas, quam quis cōqueratur, sententiam prius pronuncias quàm vtraque pars audiatur, eò vsque, vt nos interficias, & viuos interim sepelias.

Vale mundus, ideò quòd in te vel per te gaudium prorsus est nullum sine perturbatione, pax nulla, sine dissensione, amor nullus, sine suspitione, tranquillitas nulla, sine timore, abundantia nulla sine defectu & penuria, honor nullus sine macula, diuitiæ nullæ sine conscientia, status omninò nullus, in quo non aliquid, quòd reprehensione dignum videatur, insit.

Vale mundus, ideò quòd in palatio tuo promittunt homines, & non præstant: seruiunt, & mercedem non reportant, alliciunt alios, vt eos decipiant, laboribus incumbunt, vt se molestijs afficiant, rident, vt mordeant, auxilium ferunt, vt ad cadẽdum impellant, mutuum dant, vt statim recipiant, honorãt, vt blasphemẽt, castigant, ita vt veniam nullam cõcedant:

Vale

Vale mundus, ideò quòd ij, qui in te auctoritate valent, deijciantur, ij verò qui infamia laborant, extollantur, quòd ij, qui produnt alios, stipendia consequantur, ij verò, qui fideliter agunt, plectantur, quòd ij, qui pacem conciliant, infestentur, ij verò, qui seditiones excitant, amentur, ideò quòd suum pauperibus eripiatur, & diuitibus cōferatur, ideò, quòd flagitiosi liberè dimittantur, innocentes verò condemnentur, sapientes dimittantur, stulti retineantur, breuiter, ideò, ꝙ in te quilibet ex parte contra id quod vult, omnino verò contra id quòd debet, præposterè faciat.

Vale mundus, ideò quòd tuis in delicijs nemo nomine proprio nominatur. Is enim qui temerarius est, fortis, qui timidus, frigidus, molestus & importunus, diligens, tristis, pacificus, prodigus, magnificus, auarus, parcus, garrulus, eloquens, ignarus, pauciloquus, dissolutus, amasius, modestus, stultus, perturbationibus obnoxius, aulicus, vindictæ cupidus, nobilis appellatur: Ita quidem, vt tu nobis, ô mundus iniuriam pro iure, & ius pro iniuria diuendas.

Vale mundus, ideò ꝙ tam totū mundū,

ambitiosis, honores, & ijs qui ad aliquam dignitatem peruenire cupiunt, magistratum mutationes & depositiones, negociosis, officia, auaris, thesauros, gulosis, symposia, hostibus, vindictam, furacibus, latebram, senibus, requietem, iuuenibus, oportunitatem, & omnibus adeò mortalibus aliquid incerti policitando spe vana lactes.

Vale mundus, ideò quòd in tua quasi domo fidelitas non seruetur, veritas non sustentetur: ea de causa, quòd ibidem alij gaudeant, alij verò stupeant, molestētur, vagentur, desperent, cogitationibus se prægrauent, perturbentur, aut alioquin nihil verecundētur, & isti omnes in vnam summam collecti, plus quàm perditi sint.

Vale mundus, ideò quòd is qui in tuo sodalitio se tutissimum esse putat in statu incōstantissimo versatur, qui te sequitur, aberrat, qui tibi seruitiū præstat, salarium vix vllum cōsequitur, qui te diligit, modis indignis excipitur, qui contentum te reddit, cōtentus non efficitur, qui tecum familiariter agit, pessimè decipitur.

Vale mundus, ideò quòd adeò sis infelix, vt apud te muneribus, quæ tibi repræsentantur, officijs quæ tibi præstantur, menda-

mendacijs, quæ tibi dicuntur, conuiuijs, quæ tua causa instituuntur, fidelitate, quæ tibi seruatur, amore quo quis te sectatur, nihil omnino obtineri possit.

Vale mundus, ideò ꝙ tu decipis omnes, infamas omnes, castigas omnes, minaris omnibus, perficis omnia, & aliquando tandem obliuioni tradis omnia.

Vale mundus, ideò ꝙ in sodalitio tuo lamentantur omnes, suspirant omnes, conqueruntur omnes, vociferantur omnes, plorant omnes, & in eo viuentes moriuntur omnes.

Vale mundus, ideò quòd qui in te cepit odisse, is interficere, qui loqui, is falsum dicere, qui amore prosequi, is desperare, qui comedere, is vomitum excreare, qui bibere, is se inebriare, qui mercari, is compilare, qui delinquere, is in peccato vsque ad mortem perseuerare consueuit.

Vale mundus, ideò quòd quisquis est in te, is infantiam obliuione, pueritiam, experiendo, ætatem iuuenilem, vitijs, virilem, negocijs, senectutem, querelis adeoq; totum vitæ suæ curriculum spe vana consumit.

Vale mundus, ideò, quòd quisquis est

in ſchola tua, is capite, canus, oculis, lippus, auribus, ſurdus: naribus, pituitoſus, fronte, rugoſus, pedibus, podagricus, renibus, calculoſus, ſtomacho malis humoribus, capite, hemicrania, corpore, doloribus, animo, paſſionibus omninò plenus inde diſcedit.

Vale mundus, ideò ꝙ quiſquis te ſectatur, bonus eſſe non cupit. Hoc enim indè conuincitur, ꝙ in te ſingulis diebus falſarios notari, fures, ſtrangulari, homicidas, decollari, latrones, rotis imponi, pædicones flãmis exuri, falſos monetarios aquis feruentib. exſtingui, parricidas, forcipib. diſcerpi, alioſq; cõplures iuſticiæ violatores, alijs pœnarũ generib. affici videamus.

Vale mundus, ideò quòd ſerui tui nullas alias, quibus ſeſe delectent, delicias habent, q̃ vt in plateis diſcurrant, alios irrideant, matronis ſupplicent, dona mittãt virgunculas decipiant, literas amatorias conſcribant, lenas conueniant, talis ludant, contra vicinos in iudicijs agant, noua recenſeant, mendacia excogitent, & vitia noua ſomnient.

Vale mundus, ideò ꝙ in palatio tuo nullus eſt qui benè velit alij. Vrſus enim contra leonẽ, rhinoceros, cõtra crocodilium,

aquila,

aquila, contra vulturem, elephas, contra Minotaurum, accipiter, contra miluum, vrus contra taurũ, homo contra hominẽ, & vniuersa cõtra mortẽ prælio decertant.

Vale mundus, ideò ꝙ in te nihil omninò, quin nobis perniciosum sit, inueniatur. Cùm terra ante pedes nostros fathiscens, nobis dehiscat, aqua nos summergat, ignis nos vrat, aër malè tẽperatus nos inficiat: hyeme frigus, æstate nos æstus molestent, canes, nos mordeant, ęluri suis nos vnguib. lacerent, aranei nos venenẽt. culices nos pungant, pulices nos exedant, & inprimis negocia nos planè deuorent.

Vale mundus, ideò ꝙ per terram tuam securè nemo proficiscatur. Nam post vnũ & alterum quodq; vestigium lapides, quibus ad casum impellamur, ruinosi pontes & niues, quibus impediamur, mõtes quibus terreamur, fures, à quibus exuamur, casus, quibus grauemur, infortunia, quæ nos ad mortem impellant, offenduntur.

Vale mundus, ideò ꝙ in tuo territorio numerus benè rectèq; valentium perexiguus reperiatur. Nam alij lepra, alij scabie Gallica, alij carcinomate, alij podagra, alij porrigine, alij sciatica, alij calculo, alij febribus aut lentis, aut erraticis, aut

tertianis, aut quartanis, alij ſpaſmis, alij paralyſibus, & potiſſima hominum pars bella pulchraque ſtultitia laborant.

Vale mundus, ideò quòd in domo tua nullus omninò degat, quin aliquo naturę mendo ſit inſignitus. Nam, ſi quis ſit procerus, ille mox arcus in morem curuatur: ſi quis pulchra ſit facie, ille oculis nigricantibus deformatur, ſi quis pulchra ſit fronte, ille mox corrugatur, ſi quis pulchro ſit ore, ille mox edẽtatur, ſi quis pulchras manꝰ habeat, ille malo crine, ſi quis ſit rufus, ille mala cute dedecoratur.

Vale mundus, ideò quòd domeſtici tui voluntatibus inter ſe ſint adeò diſcrepantibus, vt, ſi vnus ex illis aulam velit intrare, alius ſuper mari velit nauigare, ſi vnus ex illis velit eſſe mercator, alius velit eſſe terræ cultor, ſi vnus ex illis venatu, alius piſcatu delectetur, ſi vnus ex illis monarchiæ pręſideat, alius ſub eiuſdem prętextu miſeram plebem expilare ſtudeat.

Vale mundus, ideò quòd domeſtici tui nec ad viuendum, nec ad moriendum, & ad hoc poſterius multo quidem minus, ſint conformes, quòd re vera alij in ipſo ætatis flore, iuuenes, alij ſenes, alij ſuſpenſi: alij ſummerſi: alij inedia: alij luxuria:


alij dormientes & requiescentes: alij ex improuiso, multoq; sæpius de morte nihil omninò cogitantes emoriantur.

Vale mundus, ideò q̄ in te neq; conditionis neq; conuersationis hominũ inter homines vlla certa ratio sit. Nam, si vnus est stultus, alter est sapiens, si vnus subtilis & argutus, alter rudis & crassus: si vnus magnanimus, alter vecors: si vnus pacis studiosus, alter seditiosus: si vnus est peritus & ingeniosus, alter est fatuus adeoque rerum omnium extremè ignarus.

Vale mundus, ideò quod nullus est, qui viuere tecum possit. Nam, si quis nimis parum comedit, is fit infirmus: si quis nimis multum, is fit ęgrotus, si quis eat, is fatigatur, si quis vitam in ocio degat, is obbrutescit, si quis parum donet, is parcus, si quis multum, is prodigus appellatur, si quis amicos suos sæpius inuisat, is importunitatis macula notatur, si quis id raro faciat, is præsumptionis insimulatur, si quis iniurias toleret, is pusillanimus, si quis se vindicet, is temerarius vocatur, si quis amicos habeat, is laudatur, si quis inimicos, is infestatur, si quis in vno loco diu commoretur, is discruciatur, si quis hinc inde crebrò vagetur, is delectatur.

Atq; vt finis tandem aliquando ſit, dico ego, quòd id, quod mihi diſplicet, aliquis accipere me cogat, cum id, quod mihi lubet, habere non liceat. O Munde immunde, mundanus aliquis te mundum eſſe, per me licet etiam iuratus affirmet: ego verò te precor ô munde, contraq́; te proteſtor ô munde, vt tibi nihil omninò rei ſit mecum, quòd ego nihil amplius poſtulem vel ſperem deinceps abs te. Nam quod attinet ad me, ego ſic viuere morique decreui; & poſui velut in ſymbolo meo conſequitur.

Iam finem curis, ſpes & fortuna valete.



INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM, in hoc libello contentorum.

A.

Aulici

Iose-

Kath. y Erb.

Princi-

P.

Q.


R.


S.

T.

Thraso-

FINIS.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0023448

